

Quibus Rationibus Sainte-Beuve

opus suum de XVIe seculo iterum atque iterum retractaverit

G. MICHAUT

QUIBUS RATIONIBUS SAINTE-BEUVE

opus suum de XVIe seculo iterum atque iterum retractaverit

cui dissertationi adjectus est

EJUSDEM OPERIS APPARATUS CRITICUS

THESIM

PROPONEBAT

Facultati Litterarum Universitatis Parisiensis

G. MICHAUT

Scholae Normalis olim alumnus

Nunc Ordinis Philosophorum Universitatis Friburgensis Helvet. Decanus




LUTETIAE PARISIORUM

APUD FONTEMOING BIBLIOPOLAM

4, VIA DICTA LE GOFF, 4

—

MDCCCCIII





I

Quoties Sainte-Beuve (1) librum qui inscribitur Tableau ediderit, et quibus de causis utile sit varias hujus operis lectiones recensere.

Cum, ætate jam provecta, in rationes de scriptis suis quasi testamento quam diligentissime componendas incumbens (2), atque opera sua perpoliens ut omnibus numeris absoluta posteris traderet, eximius litterarum investigator *Sainte-Beuve* libros

(1) Cum essent mihi antiqua lingua res recentiores tractandæ, metui ne nomina, ut ita dicam latina veste occultata, aliquid obscuritatis afferrent. Quæ igitur omnia decrevi intacta adhiberi et haberi tamquam vocabula casibus carentia, adjectivo aut apposito quodam, si quando opus esset, claritatis causa usurpatis.

(2) Vide *Portraits Contemporains*, I, 3 : « *Je continue de mettre ordre de mon mieux à ce que j'appelle mes affaires littéraires* ».

qui sunt inscripti *Portraits Contemporains* ultimum edidit (1), in fronte uniuscujusque libri, hanc sententiam præposuit :

> « *Nous sommes mobiles et nous jugeons des êtres mobiles* ».
>
> (Sénac de Meilhan).

Difficillime profecto ipse et scriptis et scriptori magis accommodatam inscriptionem effinxisset. Nemo enim ignorat quoties mutatus sit, et quoties, haudquaquam fidem stultam mentemque pervicaciter immotam præ se ferens, humanæ illius varietatis exempla necnon argumenta præbuerit. Nam semper — aut sæpe saltem — de rebus divinis, de philosophia, de arte scribendi, priorem sententiam repudiavit, aut a scriptoribus ipsis alienatus est, quos paulo ante maximo studio foverat : quam sæpe summam severitatem iis mox adhibuit, quos summis laudibus nuper extulerat !

Quam inconstantiam, natura animo ejus insitam, primum non videtur ipse sensisse. In dies autem manifestiorem factam quam ut diutius a critico nesciretur, brevi eam tamquam scribendi viam et litterarum rite investigandarum dijudicandarumque rationem existimavit. Nam, media ætate nondum exacta, cum e cœtu scriptorum qui ephemeridem *Le Globe* inscriptam componebant in romanticorum *Cenaculum*, e *Cenaculo* in scholam a philosopho *Saint-Simon* nominatam, e schola in sodalitatem a presbytero *Lamennais* formatam, e sodalitate

(1) 1868.

in Jansenistarum sectam, e secta in negatorum et scepticorum philosophorum disciplinam jam desiluisset, eo provectus est ut profiteretur criticos mutari nec sibi constare non legitimum modo, sed etiam necessarium esse. Abhinc igitur tempestivum habuit se opera sua ita retractare ut dicta, nisi redargueret, diligentissime saltem emendaret (1). Hæc enim prædicabat, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio : « *Trop longtemps la critique a mêlé quelque peu de son vœu, de son espérance, à ce qu'elle voulait encore moins juger qu'expliquer et exciter. Cette Revue* (des Deux-Mondes) *a publié de la plupart des poètes et romanciers du temps des portraits qui, eu égard au peintre comme au modèle, ne peuvent être considérés en général que comme des portraits de jeunesse :* juvenis juvenem pinxit (2). *Le temps est venu de refaire ce qui a vieilli, de reprendre ce qui a changé, de montrer décidément la grimace et la ride, là où l'on n'aurait voulu voir que le sourire, de juger cette fois sans flatter, sans dénigrer non plus et après l'expérience décisive d'une seconde phase* (3). » Itaque tunc cœpit singulos a se editos libros repetere,

(1) Vide *Portraits Contemporains*, I, 5 : « *J'ai dû mettre çà et là des correctifs; je n'ai pas eu à faire de rétractation* ».

(2) His verbis, ni fallor, se ipsum ceterosque irridens, proverbio cuidam alludit, et illud memorat quod vulgo dici solet : *Asinus asinum...*

(3) Vide *Portraits Contemporains*, III, 438.

ut quæ opinatus esset antea denuo pensaret, et temperaret si quid in laudibus immoderatum, gravaret si quid in reprehensionibus indulgentius esse videretur. Atque, quotiescumque opera jam antea emissa edebat iterum, aut textum emendabat maligne, pro verbis alia verba subjiciens, aut potius notulis astutis contradicebat iis quæ superiori paginæ parti inscripta erant, nimia, suo quidem arbitratu, aut admiratione aut mansuetudine inquinata.

Igitur si in animo habemus mentis hujus quasi annales revolvere et cupimus dilucide cognoscere quibus doctrinis diversis imbutus et quibus studiis vicissim motus sit *Sainte-Beuve*, plurimum nobis proderit quæ emendaverit et quibus sibi ipse per annos exactos discrepuerit inquirere. Ad quæ animadvertenda, nihil aptius videtur quam idem quoddam opus religiose indagare, a scriptore ipso iterum aliquot annis interjectis editum. Apparebit enim, ut exemplum afferam, quantum fides ejus de relligione et rebus divinis, inter annos millesimum octingentesimum tricesimum septimum et millesimum octingentesimum sexagesimum septimum, mutata sit, si quis libros quibus titulus *Port-Royal*, quales primum edidit, libris iisdem ultimum editis contulerit. Nec minus clare patet fore ut plane cognoscamus quam variis præceptis de arte scribendi nisus sit et quam sæpe judicia sua de scriptoribus mutaverit, cum contulerimus scriptorum descriptionibus, quibus collectis libri *Portraits Contemporains* dicti

constituti sunt, libros ipsos, primum anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, postea anno millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, typis mandatos.

Prima autem specie, in libro qui *Tableau* inscribitur, non videtur fuisse ubi critici nostri et ingenua et simul affectata mobilitas manifesta appareret. Scriptores enim, de quibus disputatur, fere trecentos annos jam vita functi erant : ut vix credas in animum ejus, cum lenem et ad amicitias suscipiendas pronum, tum mollem ad suscipiendam offensionem, illos aut vividum amorem immisisse, aut iracundiam odiumque incussisse, quæ ab æqualibus, *Chateaubriand*, aut *Hugo*, aut *Lamennais*, aut *Vigny* percepit. Certe neque cum mortuis *Ronsard*, *du Bellay* et *Baïf* consuetudines fecit, quas interruptas (et quidem sua ipsius culpa) ægre ferret ; neque invidia æstuavit, infensis æmulationibus inter ipsum et illos exercitis. Adde quod materia ipsa ad nullas attinet contentiones nisi de litteris, cum in formis dicendi tantummodo versatus sit, disserueritque unice de arte dicendi et versibus componendis et numeris canore disponendis. Quæ cum ita sint, dum philosophiæ neque doctrinas neque præcepta agitat, de quibus inter se repugnantia vicissim locutus est aut saltem contrarie sensit, sententiæ inter se discordes aut verba ipsa inter se repugnantia videntur haud facile inveniri notarique posse. Itaque putes non esse cur libri editiones diligenter introspiciamus.

Sed quibus altior est rei intellectus, alia est sententia. Quamquam revera de quæstionibus ad relligionem aut ad philosophiam pertinentibus nihil in libro scriptum est, de litteris saltem acriter disceptatum est, et maxima controversia, quæ est classicorum et romanticorum, opus ut ita dicam totum impletur et refercitur. Anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, fatebatur scriptor : « *Surtout, je n'ai perdu aucune occasion de rattacher ces études du XVI*e *siècle aux questions littéraires et poétiques qui s'agitent dans le nôtre. C'est sur ce point que je réclame en particulier l'indulgence du public : car j'ai parlé avec conviction et franchise sans reculer jamais devant ma pensée* (1) ». Qua de controversia, et doctrinis a controversantibus explicatis, et argumentis ab utraque parte prolatis, *Sainte-Beuve* profecto, — quamquam postea se negavit nisi de minimis quibusdam ad doctrinam pertinentibus mutavisse sententiam, — diversis temporibus diverse sensit.

Quin etiam, cum ætatis suæ quæstiones ad poeticam litterasque pertinentes, ut ipse dicit, tractaret, et illas studio quam maximo conjungeret cum controversiis sexto decimo seculo apud Gallos disceptatis, necessario de scriptoribus quoque æqualibus disseruit. Nomina enim poetarum jam ante multos annos vita defunctorum legens, haud difficile conjicias atque, ut

(1) Vide *Tableau*, in editione quæ a bibliopola Lemerre typis mandata est, I, 6.

ita dicam, quamvis abdita perspicias nomina virorum illustrium, qui scriptoris nostri fuerunt et amici et per incruenta classicorum et romanticorum bella commilitones; ita ut, de mortuis dicens, de vivis quasi aperte dixerit; erga quos, ut solebat, annis paulum mutatis, animum quoque sed haud paulum mutavit. Si res ita vere se habet et si operis sui alium effecit textum, quotiescumque aut de doctrinis sententiæ aut in viros voluntates aliæ erant, qui diligenter varias lectiones animadverterit, plane cognoscet et quantum et quam sæpe sententias voluntatesque mutaverit, — et id eo facilius quod ab initiis usque ad mortem hunc librum ab adulescente scriptum numquam intactum reliquit.

Hujus enim quatuor textus emissi sunt.

Primum partes haud parvæ typis mandatæ sunt, quæ ephemeridi *Le Globe* nominatæ insererentur. A die septimo mensis Julii, anni MDCCCXXVII, quo *Sainte-Beuve* legentes hæc monebat : « *La série d'articles qu'on se propose de publier sur l'ancienne poésie française embrassera tout le XVI*ᵉ *siècle et portera particulièrement sur l'époque décisive de 1550, où l'imitation de l'antiquité vint brusquement interrompre le développement naturel et lent de notre vieille littérature gauloise* (1), » usque ad diem decimum mensis Aprilis anni MDCCCXXVIII,

(1) Vide adnotationem primo capiti adjunctam (*Globe*) ; quæ in editionibus posterioribus non jam apparet.

— undecim capita singulatim divulgata sunt, his titulis generatim inscriptis, primum : *Etat de la poésie française à la fin du XVe et au commencement du XVIe siècle*, deinde : *Poésie française au XVIe siècle*. Jam antea, die quarto decimo mensis Aprilis anni MDCCCXXVII, eadem in ephemeride, publicaverat *Sainte-Beuve* de poeta *Malherbe* dissertationem (*Lettres inédites de Malherbe adressées à Peiresc*), quæ — ut locum legitimum teneret — seriei jam perfectæ subjuncta est. Duodecim igitur capita in manus legentium data sunt ; quibus collectis pars illa fere tota constat, in qua de poesi proprie disputatur, ceteris scribendi generibus (fabulis scilicet in scena actis et fabulis fictis, gallice *romans* dictis) seorsum tractatis. Primæ igitur ac maximæ trium partium ex quibus opus constituitur completum, in ephemeride *Le Globe*, primus textus continetur : G.

Die autem undevicesimo mensis Julii, tribus mensibus vix interjectis ex quo *Sainte-Beuve* ultimum caput in ephemeride publicaverat, omnia edidit collecta, ita recognita ut emendarentur et complerentur atque, inter se aptata, unum in opus redigerentur. Quod a procuratoribus bibliothecarum in hunc modum signatum est : *2 vol. in-8,* II-*596 et* XXXIV-*350 pp. Sautelet, Johanneau et Mesnier*. Hæc autem volumina, etsi animos valde moverunt, sive romanticorum, cum admiratione incitarentur, sive classicorum, cum temerariam auctoris doctrinam ægre ferrent, e librariorum tabernis haud cito abducta esse viden-

tur. Nam quæ dicitur « altera editio », anno MDCCCXXXVIII adscripta, non alia est ac prior, cujus titulus mutatus est solus (*Raymond Bocquet, 1838*). Etenim non solum præbet eumdem textum nullis lectionibus immutatis, sed etiam eisdem typis impressa est et eadem charta formata ; adde quod hæc editio, « altera » falso dicta, numquam relata est in publicos librariorum Gallicorum commentarios, qui *Bibliographie de la France* inscribuntur. Unde apparet in hac editione, quæ quidem exstitit unica, quamquam aut prior aut altera a plerisque habetur, unicum et eumdem textum legi posse, qui est alter (1) : S.

Exstat tamen editio, et vere altera hæc quidem, quæ solum anno MDCCCXLIII ab auctore ipso procurata est (*1 vol. in-12, 499 pp. Charpentier*). Præfationi anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo scriptæ, *Sainte-Beuve* prælocutionem etiam (*Avertissement*) præmisit. Et insuper adjecit fragmenta aliquot e volumine altero (*Œuvres choisies de Pierre de Ronsard*) excerpta, necnon octo dissertationes de poetis aut rebus sexti decimi seculi nuperrime a se scriptas (*Mathurin Régnier et André Chénier, Joachim du Bellay, Jean Bertaut, du Bartas, Philippe Desportes, Anacréon au XVI*^e^ *siècle, De l'esprit de malice au bon vieux temps, Clotilde de*

(1) Quod restat, silentio prætermitto volumen alterum, cum et operibus selectis poetæ Ronsard totum tribuatur, et a critico Moland, notis additis lectionibusque variis recognitis, apud bibliopolam Garnier editum sit.

Surville). Multa denique emendavit sicut ipse testatus est : « *J'ai beaucoup revu, beaucoup vérifié, quant aux faits de détail et aux particularités dont ce genre d'ouvrages abonde* » (1). Hic igitur tertius est textus, qui priorum dissimilis est : C.

Cujus editionis in prælocutione, profitebatur *Sainte-Beuve* se hinc jam opus intactum servaturum esse : « *J'ai dû m'arrêter. Une correction plus minutieuse et poussée plus avant serait, j'ose le dire, dans l'intérêt de mon amour-propre, plutôt que dans celui de la question littéraire elle-même. Le peu d'utilité que ce livre peut avoir, le petit nombre de vues nouvelles qu'il met en lumière, il les porte suffisamment ainsi. Qu'on en profite donc et qu'on fasse mieux* » (1). Sed religiose diligens ut erat natura, non potuit quin, quibusdam forte immutatis aut additis, opus continuo perficeret. Postquam autem mortem obiit, fidelis epistularum librorumque ejus scribendorum, idemque heres, *Troubat*, repperit adnotationes quasdam ineditas, quas *Sainte-Beuve* propria manu adscripserat in duo exemplaria libri anno MDCCCLXIII editi. Hæc autem exemplaria ad futuram editionem edendam emendata erant ; quam ipse procuravit

(1) Vide C, 3; L, I, 2.

(2) Ibid.

Troubat apud bibliopolam *Lemerre* (1), (*2 vol. in-16, lix-437 et 418 pp.*). Qua nunc legimus textum quartum et jam immutabilem operis : L.

Quæ cum ita sint, patet auctorem *Sainte-Beuve* opus (imperfectum quidem, ultimis partibus nondum conscriptis) emisisse primum, his temporibus ipsis quibus romanticorum doctrinis ac disciplinæ ita sese dabat ut studio in dies acriore incenderetur ; — idemque opus (et jam quidem perfectum) iterum emisisse, cum doctrinarum disciplinæque romanticorum amore flagraret maximo ; — tertium idem opus his annis emisisse quibus, ætate jam firmata, et maturiore ingenio, et juvenilibus erroribus quamquam diu dulcibus demum depositis, præcepta quædam media sibi fingere conabatur, quibus conjungeretur quidquid laudabile præberent et classicorum et romanticorum doctrinæ disciplinæque ; — quartum denique et ultimum, idem opus non emisisse quidem sed retractasse certe ut emitteretur, cum de litteris rationem immutabilem sequeretur. Unde fit ut libri *Tableau de la poésie française au XVI*[e] *siècle* inscripti, variis lectionibus recognitis, quasi

(1) Vide *L, I, l.i* : « *Il ne nous reste plus que quelques mots à dire, pour annoncer la nouvelle édition de cet ouvrage. Nous y avons fait entrer toutes les annotations manuscrites et inédites que* Sainte-Beuve *avait laissées sur deux exemplaires de l'édition de 1843, la dernière à laquelle il avait donné ses soins. Ces deux exemplaires avaient été préparés en vue d'une future édition : c'est celle que nous donnons aujourd'hui, et elle sera définitive.* »

oculis complecti possimus quid de romantismo diversis temporibus diverse senserit *Sainte-Beuve* (1).

(1) Ut legitimum lectoribus, puto, videbitur, omnia omitto (in hac saltem dissertatione scribenda) quæ inania et minimi momenti sunt :

: vitia expurgata, quæ typis inepte mandata erant :

G. 14 jul. 1827	L. I. 43, 12
des genres *mêmes* de poésie	des *menus* genres

: verba elegantiæ jucunditatisve causa, sententiis minime conversis, mutata :

G. 1er sept. 1827	L. I, 82, 10
Les lauriers d'Athènes et de Rome *soulevaient* ces jeunes cœurs.	*enlevaient* ces jeunes cœurs.
G. 29 décembre 1827	L. I, 226, 11
On dirait Lelius et Scipion jouant après avoir *ôté* leur ceinture.	*dénoué* leur ceinture.

: locos etiam adjunctos et errores sublatos et res primum temere expositas accurratius prudentiusque postea dictas :

S. 2	L. I, 12, 8
La croisade des Albigeois... tout en ruinant la brillante patrie des troubadours, *dut* contribuer à enrichir les trouvères, de quelque portion de leur héritage	dut contribuer, *ce semble*, à enrichir
S. 3	L. I, 13, 6
On conçoit même que, loin d'étouffer la poésie, elles [les guerres franco-anglaises] *durent* maintes fois la provoquer en lui prêtant une noble matière.	elles *auraient dû*
S. 4	L. I, 13, 19
Il y a peut-être moins de fiction qu'on ne pense dans le recueil attribué à Clotilde de Surville.	On se prend à regretter que, sentiment et forme, tout soit fiction dans les poésies de Clotilde de Surville.
G. 14 jul. 1827	L. I, 51, 16
Marot traduit même *assez fréquemment* ce dernier [Martial].	Il traduit même ce dernier.
G. *ib.*	L. I, 56, 8
Quant à l'alexandrin, l'idée ne lui vient *jamais* d'y recourir.	ne lui vient *presque* jamais...

Sed ut utilitatem ex lectionibus capiamus, haud supervacaneum erit primum inquirere quo pacto et quibus doctrinis imbutus, *Sainte-Beuve* inceptum et aggressus et exsecutus sit.

G. 4 sext. 1827	**L. 1, 62, 15**
... en sa qualité d'aumônier du roi Henri II	... du *dauphin, depuis* roi Henri II
G. 1er sept. 1827	**L. I, 81, 16**
Louis Le Roy *se rendit* célèbre par ses traductions	se *préparait à devenir* célèbre
G. 20 sept. 1827	**L. I, 99, 6**
Rabelais qui *était avec du Bellay* du voyage d'Italie	qui *vingt ans avant du Bellay faisait* le voyage
S. 164	**L. I, 229, 5**
... une satire dans laquelle Vauquelin conseille l'étude *à son fils Désiveteaux*...	à l'un de ses fils, *qui n'est pas des Yveteaux*...

Attamen ex his mutationibus, de critico nostro, ejusque ratione, quædam deducenda mihi videntur. Licet enim *Sainte-Beuve* in prælocutione scripserit : « *Ce livre a été mon début en littérature ; quand je l'ai commencé j'étais étudiant en médecine et j'avais vingt-trois ans ; voilà mes excuses pour les incertitudes et les ignorances des premières pages. Ce que je savais le moins, c'était mon commencement. J'avais bien en général l'instinct et le goût de l'exactitude ; je n'en avais ni la méthode, ni surtout ces scrupules continuels qui en sont la garantie, et qui ne viennent qu'avec le temps, après les fautes commises* », (**L. I, 1**) profecto tamen apparet illum, primis ab annis religiosissima sedulitate præditum, majore in dies diligentia opera tractasse.

Item animadvertendum quam sæpe *Sainte-Beuve* sententiam suam mutaverit uno verbo (*ne... pas, presque, peut-être*) adjecto, cum cetera verba intacta remanerent. Quibus notatis, forsitan confirmare mihi liceat quæ alias scripsi de ratione quam ad componenda opera *Sainte-Beuve* adhibuerit, cum censerem illum extemporalibus orationibus minime aptum fuisse, et stilo, ut ita dicam serviisse. (Vide Michaut, *Sainte-Beuve avant les Lundis*, cap. XII).

II

Quibus temporibus, et quibus de arte scribendi doctrinis imbutus, SAINTE-BEUVE sexti decimi seculi poeticam explanare susceperit.

Cum insignis fuisset in urbe sua, inter discipulos scholæ cui præerat *Blériot*, nec minus insignis Lutetiæ, in collegiis *Charlemagne* et *Bourbon* nominatis, multasque coronas in *Certaminibus Generalibus* meruisset ; — et cum, facultate bene scribendi præditus, orationes et suasorias et epistulas fictas aut gallice aut latine composuisset, quas rhetores et admirarentur et imitanda condiscipulis ejus proponerent et typis etiam mandarent ut posteris serva-

rentur (1) ; — denique, cum, litterarum studio captus et se ad poesim natum existimans, simul admiratione et æmulatione incensus esset, lectis celeberrimorum illius temporis poetarum *Delavigne* et *Lamartine* versibus ; — nullo modo fieri poterat quin *Sainte-Beuve* litteris colendis se daret vel potius se dare magnopere vellet (2). Dis autem aliter visum.

Ipse enim de *Joseph Delorme* narrat « rationem ejus, a pueritia gravibus institutis confirmatam et vehementi cognoscendi amore fultam, obnisam esse sponte studiis ejus in poesim, atque ea ita compressisse ut lyram ipse confregerit » (3). Nec quisquam profecto nescit nomine *Joseph Delorme* neminem nisi scriptorem nostrum signari. Juvenilibus enim annis in collegio exactis, cum necessitate quærendi victus impelleretur necnon cognoscendæ rerum naturæ colendæque historiæ naturalis curiosus esset, ac præsertim a matre sedula, cui curæ erat ejus sors et futura vita, acriter incitaretur, statuit artem medendi exercere ; itaque in schola

(1) Vide Pierrot, *Recueil de discours, narrations, lettres, lieux communs, développements historiques, etc., composés par les élèves de l'Université moderne, suivi d'un choix de vers latins* (Hachette, 1831).

(2) Vide Michaut, *Sainte-Beuve avant les Lundis*, cap. II.

(3) Vide *Poésies complètes*, I, 8 : « *Sa raison, fortifiée dès l'enfance par des habitudes sérieuses et soutenue d'une immense curiosité scientifique, s'éleva d'elle-même contre les inclinations du poète pour les dompter. Elle lui parla l'austère langage d'un père, lui représenta les illusions de la gloire, les vanités de l'imagination, sa propre condition si médiocre et si précaire, l'incertitude des temps et de toutes parts autour de lui des menaces de révolutions nouvelles. Que faire d'une lyre en ces jours d'orage ? la lyre fut brisée* ».

medicorum auditor assedit. Sed ægre tulit se paupertate ita cogi et a dulcibus studiis removeri, cum, tristis jam ipsa « natura, ut dicit, a primis annis senili » (1), tristior etiam factus mæsta stoïcaque sapientia cui se dederat acerbe, tandem magis mærens in dies, morbis et malis pauperum ægrotantiumque consideratis et contrectatis, vitam degeret, fracto animo, infelicem.

Quadam autem die, nescio an casu et nulla nisi ægritudinis levandæ spe, dum narrat, incitatus, dolores animi sui fracti detulit ad *Dubois*, ephemeridis *Le Globe* moderatorem; quo magistro usus erat in collegio *Charlemagne*. *Dubois*, misericordia motus, operam navavit ut a desperatione ad spem medicinæ studiosum revocaret : quem quidem hortatus est ut in incepto perstaret vacaretque constanter studiis, quamvis ingratis, quæ in futurum fortunam satis amplam, vitamque tuto locatam ei præstarent; sed simul ab eo scripta quædam petiit, quæ ephemeridi insererentur. Nec fabulæ commenticiæ profecto, nec poemata de amoribus aut doloribus aut aliis « nugis » *Sainte-Beuve* fingenda erant, quæ parum ephemeridis lectoribus futura essent curæ; sed quædam graviora de arte scribendi aut de rebus gestis narratis componenda, ut otiosum tempus contereret et tristitiam artibus liberalibus colendis depelleret. « *Sainte-Beuve*, ut ait *Dubois*, *pouvait chercher là à la*

(1) Vide *Correspondance*, I, 6 : « *mon habitude prématurée de vieillesse* ».

fois une distraction à ses noires pensées et l'exercice d'un talent qui voulait de l'air, sans toutefois rompre encore avec la médecine et son hopital. La place que je pouvais assurer à ses essais et la modique rétribution dont notre dévouement et notre modestie à tous se contentait, ne pouvaient être une ressource. Ce que je considérais et ce qu'il considérait de même avec moi, c'était le soulagement de son âme par l'expansion ; et je lui citais l'exemple de Gœthe qui, une fois déchargé dans son Werther *de ses rêveries douloureuses, ne ressentit plus le mal qu'il communiquait ainsi à tant d'autres » (1).*

Hæc omnia sine dubio modica videbantur juveni nec satis sublimia ut cumulatissime satisfacerent ei, cupiditate gloriæ flagranti. Attamen, talibus inceptis, sperabat fore ut in numerum scriptorum inscriberetur, et ut ita dicam jam scriptoris speciem indueret et breviter vere scriptor evaderet. Itaque proposita haud abnuit, cum in animo haberet majora mox tentare.

Primum cœptus est a *Dubois* formari : quo duce et magistro, ut tiruneulus quidam a monitore doctus, artem ephemeridis conscribendæ didicit (2). Etenim ut facultatis

(1) Vide Lair, *Un maître de Sainte-Beuve* (*Correspondant*, 25 april. 1900, p. 319). — Illo Germanici poetæ exemplo videtur *Sainte-Beuve* magnopere motus esse : nam ipse iterum atque sæpius, de litterarum vi et virtute idem obtulit (Vide *Lundis* et *Nouveaux Lundis*).

(2) Vide *Portraits littéraires*, II, 525 : « *J'apprends mon métier* ».

suæ periclum faceret, ei proposita sunt describenda ac historicis narrationibus ornanda, loca terra marique ad orientem sita, in quibus Græci adversus Turcas rebellantes tunc libertatem suam egregiis factis vindicabant. Breviter vero ei concessum est ut judicia sua exprimeret de scriptis quibusdam, scriptoribusque hujus temporis minoribus. Quibus judiciis pronuntiatis, et clarius ipse intellexit et expressius in medium tulit quas de arte scribendi doctrinas reciperet foveretque.

Doctrinæ autem eæ sunt mediæ, quibus tavere quasi necesse erat juvenem qui nuperrime classicorum illustrium polita opera versavisset manu assidua summaque admiratione perlegisset, cum tamen inter sodales vitam ageret aliquid novi ac recentioris valde cupientes.

Nam judicio ejus, septimum decimum seculum, « illud tam splendidum ævum », quasi « aurea litteris colendis ætas » (1) habetur. Præterea omnes qui temporibus illis scripta composuerunt et laudem meriti sunt, verbis amplissimis attollit, — non modo quos νεώτεροι (2) (ut per irrisionem ait Tullius) venia quadam ipsi tamquam prosequebantur, ut *Molière* et *La Fontaine*, sed illos etiam quorum ingenia laudesque vehementissime detrectabant. *Racine* nostrum, perfecti poetæ exemplar imitandum *Sainte-Beuve* æqualibus

(1) Vide *Premiers Lundis*, I, 155 : « *les délicatesses d'un si beau siècle* » ; 156 : « *ce charme à jamais évanoui du grand âge littéraire.*

(2) *Ad Attic.*, VII, 2, 1.

suis proponit et ita laudat ut vitia ejus, — si modo sunt vitia, — infirmitatis humanæ esse prædicet (1).

Longius etiam progredi ausus est. Cum nemo inter recentiores esset qui *Artis poeticæ* scriptorem notis et vituperationibus et irrisionibus non insectaretur et cum omnes, qui quidem se litteras redintegraturos atque instauraturos esse affectarent, præcepta a legum classicarum auctore data proculcarent, *Sainte-Beuve* haud timide ei honorem quam maximum tribuit et illum artis antistitem esse professus est ; ita ut, cum in epistula, cui titulus *Épitre à quelques panégyristes* a *Gustave Drouineau* composita, quædam *Artis poeticæ* modum et genus redolentia legisset, audacter scriberet : « *Il faut en louer l'auteur. Le poète de la raison semble plus que jamais délaissé de nos jours ; déjà le siècle dernier s'était plu, on ne sait pourquoi, à lui refuser le génie ; on ne daigne même plus le lui contester ; la médiocrité du rival et du maître de Racine est dès longtemps chose convenue entre nos talents modernes : il y a une sorte de courage à revenir à lui* ». (2) Qui voce clara

(1) Vide *Premiers Lundis*, I, 188 : « *Racine,... dans les chœurs d'*Esther *et d'*Athalie, *n'a pas fait passer tout ce que son âme avait conçu de mélodie céleste et d'onction sacrée... C'est qu'il a senti combien devant l'impuissance humaine il valait mieux encore se résigner que se débattre ; là où il a désespéré d'être excellent, il a mieux aimé rester un peu faible, en voilant sa faiblesse d'une molle et noble douceur, que de s'épuiser en vains efforts pour retomber de plus haut. C'est la seule manière d'être parfait en poésie, autant qu'il est donné à l'humanité de le devenir* ».

(2) Vide *Le Globe*, I, 231, *Petite Revue littéraire*, 30 déc. 1824. Qui locus operibus scriptoris nostr inunquam insertus est et a plerisque, credo, ignoratur.

hæc atque talia pronuntiavit anno millesimo octingentesimo vicesimo quarto, ille profecto in suspicionem venire non potest quod fuerit rerum novarum fautor.

Ne tamen forte credas illum, cum classicos valde probaret, inconsulte nomen suum dedisse ut in castris eorum stipendia prima faceret, qui classicæ doctrinæ falso contendebant se defensores ac patronos esse : *Viennet*, scilicet, vel *Auger*, vel *Jay*, vel *Baour-Lormian*. Cum istis obsoletæ artis dicendi fautoribus fœdere nullam confirmavit societatem. Nam, etsi septimi decimi seculi exemplaria vivido amore perlegebat atque religiose colebat præcepta ab antiquis tradita, tamen, cum ætate floreret et juvenili ardore flagraret, novitate delectabatur quadam legitima. Adde quod, inter conscriptores ephemeridis *Le Globe* adscriptus, eorum opinionibus assentiebatur, quæ vetustatem haud redolebant. Jamjam in collegio assidens Parisiensi, litteris novis diligentissime studuerat et omnibus motibus incitatus erat, qui in animis legentium mirandis novi generis operibus suscitati erant (1). Itaque, talibus poematibus lectis atque probatis, imperito quidem nonnumquam judicio etiam usus est in litteris, ut versus *Messéniennes*

(1) Vide *Souvenirs et Indiscrétions*, 77 : « *Nous lisions les nouveaux livres tout haut, en récréation : on ne se figure plus aujourd'hui, on ne peut plus se figurer quel enthousiasme, quel transport ce fut pour les premiers vers de Lamartine parmi ceux de notre âge* ; nous tous qui voulions faire des vers, nous fûmes touchés ; *nous ressentions là le contre-coup d'une révélation, un soleil nouveau nous arrivait et nous réchauffait déjà de ses rayons* ».

nominatos, quorum amore vere insanire se ipse dicebat (1), poematibus *Méditations* inscriptis æquare non dubitaret ; sed satis teretes aures ejus jam factæ erant ut sentiret quam frigide servum pecus imitatorum maxima classicorum opera imitaretur. Quod tam lucide percipiebat ut istorum errata signaret aperte. Ac si quando opportunum visum est ab incorrupto quodam judice e finibus litterarum ineptum poetam educi, *Sainte-Beuve* has partes officiumque ultro suscepit : scriptorem *Baour-Lormian* expulit, haud floribus coronatum (2).

Ceterum, si suopte ingenio *Sainte-Beuve* non animadvertisset quam priscæ et pervetustæ formæ essent libri istorum, satis profecto ei fuisset, id ut intellegeret, oculis ephemeridem, in qua scribebat, perlustrare ; in qua cotidie ac sine ulla intermissione, ineptorum scriptorum vitia iterum atque iterum denuntiata sunt (3). Nec rectori *Dubois* nec sociis ejus argumenta deerant, hæc atque talia exprobrantibus : Undevicesimi seculi pseudo-classicos

(1) Vide *Correspondance*, I, 2 : « *j'en suis fou* ».

(2) Vide *Le Globe*, 2 jun. 1825. *Des poésies de circonstance et de M. Baour-Lormian.* — Locum integrum laudo, cum operibus scriptoris nunquam insertus sit : « *Si M. Baour n'a jamais eu de conviction, si, avant de saisir sa lyre, il l'a toujours pesée au poids de la faveur, s'il l'a consacrée à perpétuité aux Apollons des Menus-Plaisirs et fixée à tout jamais aux voutes du Garde-meuble, si aujourd'hui encore, abusant d'une harmonie facile et routinière il s'es monté sans trop de peine au ton d'un lieu commun sonore, si en un mot le Sacre dans ses chants n'est une cérémonie ni nationale, ni religieuse, ni féodale, mais une matière à quatre mille vers descriptifs assez ronflants, tels qu'on en fait en rhétorique la veille des grands jours, que lui peut-on sérieusement objecter ? C'est du calcul et non de la poésie qu'il a prétendu faire : la critique n'a pas de prise sur lui : il est au-dessous d'elle* ».

3) Vide Michaut, *Sainte-Beuve avant les Lundis*, cap. III, V.

parum intellexisse merita illorum celeberrimorum artificum quos se imitari profiterentur, nec vere illas doctrinas sequi, quas se colere prædicarent. Insuper præcepta, quæ artis antistites septimo decimo seculo nati aut ipsi promulgavissent aut ab antiquis accepissent, vel illorum vel Romanorum Græcorumque temporibus aliquid habuisse apti et e certis quibusdam causis manavisse, quæ nostris temporibus non jam essent. Ceterum etiamsi in eo decepti essent quod existimarent leges de arte scribendi in omne tempus latas esse, illos saltem recte putavisse non ipsa et sola legum istarum observatione scribi posse opus ex omni parte perfectum, et eosdem ingenium suum quasi dilatavisse, natura et rebus antea gestis et vita, ne plura dicam, observandis imitandisque. Nostris contra temporibus, istos suppositos subditiciosque classicorum nepotes iisdem legibus fidem quamdam superstitiosam adjunxisse, illasque tamquam officinæ instrumenta habuisse ut, negotio nullo, fabulas tragicas vel comicas et carmina et elegos non componerent sed potius tuto fabricarentur, quippe quibus ne minimæ quidem esset curæ naturam sequi rerumque similitudinem effingere. Eos denique plus quam militari disciplinæ se constringendos tradidisse, non ut vires colligerent quibus aliquid sublimius perfectiusque tentarent, sed ut tantummodo ingenii sui constricti gloriam (si esset gloria) assequerentur. Cui doctrinæ neque *Sainte-Beuve* neque amici ejus assensi sunt, quo-

rum arbitratu operum prima virtus esset si veris proxima viderentur. Quod quidem ab omnibus æqualibus requirebatur, si non falso scripsit *Sainte-Beuve* : « *un besoin presque unanime de vérité se proclame hautement dans tous les arts de notre époque* » (1).

Facile, credo, existimet quis hanc quam exposuimus de arte scribendi doctrinam nihil aliud esse nisi doctrinam hoc ipso tempore prædicatam ac decantantam a romanticæ sectæ scriptoribus. Plurimum autem abest ; adeo ut ephemeridis *Le Globe* conscriptores pertinaciter lacessiverint omnes eos qui, nostro quidem judicio, veri romantici fuisse habentur, cum ab iis ephemeris romantica, *La Muse française*, tunc conscripta sit, et paulo post constitutum quod dicitur romanticum *Cenaculum* : illos enim haud minoribus notis, immo maledictis, insectati sunt quàm pseudo-classicos ipsos. Etenim ex sententia in ephemeride *Le Globe* probata, sincerus romantismus in hoc continetur quod libertas arti et artificibus vindicatur ; libertatem autem ducebant aliquid moderati ac temperati, quam illis cordi erat a nimia reprehendendaque licentia discernere (2). Itaque si necesse existimarent artem scribendi legibus istis inanibus eximere, quas abstrusi philosophi et critici tardi finxerant, nihilominus permanere putabant leges quasdam legitimas ; quæ

(1) Vide *Le Globe, Petite Revue littéraire*, 27 déc. 1825. — Hæc operibus scriptoris non inserta sunt.

(2) Vide *Le Globe*, 2 ap. 1825 : VITET, *De l'indépendance en matière de goût.*

quidem, haud minus sanctæ quàm ἄγραφοι νόμοι illi a Græco vate celebrati, auctoritate sua ac propria vigerent : normas scilicet loquendi, regulas operum judicandorum necnon rationis humanæ præcepta.

Quapropter subtiles judices verbis insolitis offendebantur quibus aliquando utebantur novi scriptores aut durioribus transgressionibus aut etiam insolentibus structuris ; nec minus offendebantur audacioribus figuris ornamentisque putidis quibus (ut arbitrabantur) νεωτέρων scripta dedecorabantur; hoc denique præsertim offendebantur quod opinionibus iidem imbuerentur mystica quadam amentia corruptis, nec abstinere poterant quin in cachinnos effunderentur quotiescumque perlegerent ista delirantium somnia. Unde factum est ut non minus respuerent novos nimia audentes quam veteris artis fautores nimium timentes. Atque, auditis primis orationibus a rhetore *Villemain* in facultate Parisiensi prolatis, nulla alia causa in maximam spem adducti sunt quam quod sperarent illum sibi maximum adjutorem fore, ad utrumque periculum propulsandum (1).

Cum hæc argumenta e litteris assumerentur, si insuper

(1) Vide *Le Globe*, 27 nov. 1826. *Cours de M. Villemain : « Nul ne peut mieux que lui, par ses leçons comme par ses exemples, défendre notre littérature de deux fléaux qui l'affligent en même temps : de l'esprit de routine, esprit superstitieux et timide qui voudrait nous condamner à l'immobilité, et de cette indiscrète manie d'innover, qui fait regarder à quelques écrivains le bon sens comme une mode surannée, la propriété, la correction et la pureté du style comme des ornements superflus..., qui leur fait prendre enfin pour un perfectionnement digne d'être applaudi la bizarrerie des idées et la barbarie du langage »*.

addideris de rebus divinis et civilibus penitus dissentire ephemeridis *La Muse française* conscriptores, catholica fide imbutos ac regibus quam fidelissimos, et ephemeridis *Le Globe*, relligionum impatientes et regem (cum videretur regia potestas necessaria) ægre ac in dies ægrius tolerantes ; intelleges cur *Sainte-Beuve* de opere a *Vigny* composito tam aspere, immo injuste scripserit (1) atque postea de romantica doctrina dixerit se « satis ab hoc genere scribendi primum abhorruisse » (2).

Ne multa ; litteras vere classicas etiam undevicesimo seculo esse ac semper fore dignas quæ admiratione quam acerrime legentes moverent, et easdem (quod saltem attinet ad proprias earum vires et virtutes) permanere tamquam exemplaria scriptoribus proponenda, quæ nisi imitarentur, saltem adæquare conarentur : id statuebat *Sainte-Beuve* quasi primum litterariæ fidei dogma. — Necesse autem esse scriptores sese temporibus suis accommodare atque sententias novas aut veterum sententiarum novos colores reddere et verbis recentioribus, omni tamen insolita et temere formata voce exclusa, et versibus paulo liberioribus, lege nihilominus quadam numeris adhibita, et dicendi forma audaciore, putido sermone devitato : quasi secundum dogma tenebat. — Tertium vero, maximos

(1) Vide *Portraits contemporains*, II, 536.

(2) Vide *Lundis*, XI, 532 : *« J'y étais assez antipathique jusque-là, à cause du royalisme et de la mysticité que je ne partageais pas ».*

e novis scriptoribus, *Bernardin de Saint-Pierre* et *Chateaubriand* (1), e poetis, *Lamartine, Delavigne* et *Béranger* (2) veram probatamque viam dicendi indicasse, et exemplis suis ostendisse quibus rationibus extenderentur artis fines, nec excederentur; ut si quis rationem illorum deseruisset, illum errore vagaturum esse arbitraretur, et de industria turpiter sese parem facturum istis insanis scriptoribus, *Hugo, Vigny,* aut..... *d'Arlincourt* : nam (mirabile dictu) erant quibus *Hugo, Vigny* et *d'Arlincourt* iidem ac pares utique esse viderentur (3).

Hanc autem de litteris doctrinam non modo in ceteris scriptis quæ *Sainte-Beuve* ephemeridi suæ inseruit, sed etiam in scriptis de sexto decimo seculo invenies.

Etenim his ipsis temporibus, de sexto decimo seculo *Sainte-Beuve* disserere cœpit. In litteris enim obnoxias adjutoris cujusdam partes suscipere, atque fovere et tabellis publicis commendare et laudibus augere quidquid boni componerent scriptores, tædio fuit juveni, qui sibi majora proposuisset. Itaque breviter cupivit, vel potius a prima

(1) Vide *Le Globe*, 17 déc. 1825. *Voyage littéraire et historique en Angleterre et en Écosse.* — Quod operibus scriptoris non insertum est.

(2) Vide *Le Globe, ibid*, et 24 mars 1825, *La Calédonie, Des Poésies de circonstance* (operibus non inserta). Vide etiam *Premiers Lundis*, I, 120.

(3) Vide *Le Globe*, 2 feb. 1826. Ephemeridis quidam conscriptor, cum finxisset fœdus inter hostes romanticorum pactum, quo romanticæ scholæ auctoritatem minuerent, hanc pacis condicionem interposuit : « *On aura soin de répéter sans cesse au public, qui finira par le croire, que le romantisme, c'est* Han d'Islande, le Solitaire, Éloa *et toutes les rêveries de la Société des Bonnes-Lettres* ».

die cupiverat operibus laudatis ipse florere, ut nomen suum insigne scriptis propriis faceret. Itaque jamjam ad versus conscribendos aggressus erat, quibus, voce ut ita dicam demissa, annales vitæ suæ humilis caneret (1). Tamen, cum se sentiret ita rudem et imperitum, nemo erat a quo consilia peteret et quo magistro uteretur. Namque cum nullo adulescente, poesis studioso, amicitia conjungebatur, a quo reprehendenda in poematibus benigne notarentur. Suos autem magistros, qui ephemeridem perscribebant, quamvis historia philosophiaque callidos, jure existimabat elegorum parum intellegentes (2). Quæ cum ita essent, et cum, auctoribus destitutus et natura pudens, se versibus totum dare dubitaret, quærebat occasionem virium tentandarum in medio quodam scribendi genere, et materiam qua simul se a grege secerneret facultatemque suam perficeret. Haud intempestive ei Gallica Academia et occa sionem et materiam præbuit ; quæ mense Sextili anni millesimi octingentesimi vicesimi sexti, certamine scriptorum commisso, argumentum disserendi proposuit : *Discours sur l'histoire de la langue et de la littérature française depuis les commencements du XVI*e *siècle jusqu'en 1640.* Nostri scriptoris municeps ille *Daunou*, rerum Gallica rum diligentissimus investigator, quo septem jam annos

(1) Vide *Lundis*, XI, **532**. « *C'étaient des poèmes de sentiment tout intime, avec des inex périences de forme et de style* ».

(2) Vide *Portraits contemporains*, I, **489**.

familiariter usus erat *Sainte-Beuve* (1), eum hortatus est ut certamen iniret ac se adjutorem præbuit ad res obscuras recognoscendas.

A quo laboris socio incitatus, *Sainte-Beuve* aggressus est operis sui pensum. Primum nihil in animo habuit nisi dissertationem perscribendam quam Academia desiderare videbatur. Sed antequam commentationem componeret de Gallicis litteris sexto decimo seculo cultis, haud supervacaneum sane erat litterarum historiam scrutari (2). Cum vero, sicut rebus ipsis et materiæ congruebat necnon ingenio suo consentaneum erat, poemata primum adorsus est meditari, primis initiis obvias habuit quasdam quæstiones, quibus valde captus est. Etenim eum semper quam maxime delectaverat quidquid ad artem poeticam spectaret et ad dicendi viam et versuum contexendorum rationem (3), istis præsertim temporibus, quibus, ut ita dicam, citharam suam omnibus nervis intendere nitebatur. Quare forma, numeris, versibusque, quibus sexti decimi seculi scriptores usi sunt, studiose consideratis, cetera non flocci jam fecit (4).

(1) Vide *Nouvelle Correspondance*, **96**.

(2) Vide **L**, I, **5**.

(3) Vide *Joseph Delorme* (*Pensées* XI et XX).

(4) Vide **L**, I, **6** : « *Le sujet me parut si beau que je n'en sortis pas. Il me fallut dès lors renoncer au concours et je m'y résignai sans trop de peine, d'autant plus que les résultats auxquels je tenais particulièrement, présentés sans leurs développements et leurs preuves, eussent pu sembler bien hasardés et téméraires* ».

Itaque, certamine neglecto, commentationis loco librum composuit, ita tamen ut plerarumque partium in ephemeride experimentum faceret : unde natus est liber qui dicitur *Tableau du XVIe siècle*. .

III

Quomodo Sainte-Beuve, primas et extremas partes operis componens, diverse de litteris atque arte scribendi senserit ; et quæ indicia, cum prioris tum alterius doctrinæ, singulis in capitibus relicta sint.

Sed, his ipsis mensibus, quibus *Sainte-Beuve* de sexti decimi seculi poetis studium inibat, et cum jam in manibus ejus essent prima operis capita, res minima evenit, quæ tamen plurimum non modo ad opiniones mutandas sed etiam ad vitam inflectendam valuit. Consuetudines enim fecit cum poeta *V. Hugo.*

Dubois, ut ingenio erat vere æquo et ad omnia intel-

legenda apto, existimavit tandem omnes ephemeridis suæ conscriptores injuste durioribus sententiis atque acrioribus notis poetam *Hugo* lacessere; ita ut in animo haberet ipsum illius « infamiam levare » (1), judicio magis benigno de carminibus recentibus, *Odes et Ballades*, prolato. Sexcentis autem curis, præsertim ephemeridis regendæ labore, impeditus ne destinata exsequeretur, has partes *Sainte-Beuve* nostro delegavit. Hunc nimirum putabat insitas menti opiniones facilius depositurum esse quam ceteros natu majores ; insuper non dubitabat quin discipulus, consiliis illius quo magistro usus esset magis obedienter acceptis, de poematibus judicium benevolum ferret quod ephemeridis rector optabat. Quare carmina juveni permisit, et invitavit eum ut opus legeret et secum communicaret quidquid de eo sentiret, ut inter ipsos conveniret. Cum igitur per se ipsum *Sainte-Beuve* jam animo ita compositus esset ut carminum merita perciperet atque probaret, multo magis etiam percepit et præsertim ausus est laudibus extollere. Postquam duo capita ephemeridi inseruerat, diebus altero et nono mensis Januarii, ephemeris ipsa (res quidem valde inopinata) scholæ romanticorum duci opem atque subsidium ferre visa est.

Haud ignoratur abhinc magis ac magis intima familia-

(1) Vide Lair, *Un maître de Sainte-Beuve.* (*Correspondant*, 25 apr. 1900, p. 320): « *J'avais formé le dessein de faire moi-même l'article de* réhabilitation. »

ritate conjunctos esse poetam et criticum, cum alter, in usu domestico blandus ac lenocinans, auctoritate quadam magistri apud amicos valeret, alteri, quod muliebris erat ingenii animique inconstantis, semper ut ita dicam domino ac rege opus esset (1). Quæ auctoritas, ut par erat, ad litteras primum potius quam ad doctrinas de rebus divinis aut publicis valuit. Primo enim in colloquio, seu forte seu poetæ voluntate, sermo de arte poetica formaque scribendi institutus est, per quem *V. Hugo* propria præcepta exposuit, de verbis adhibendis et versibus componendis et numeris contexendis. *Sainte-Beuve* autem, poematibus sexti decimi seculi et arte hujus temporis poetarum valde eruditus per recentia studia, facile animadvertit quam mire congruerent cum novis doctrinis doctrinæ *Pleiadum*, et in operibus sexti decimi seculi invenit ipse argumenta, quibus aut plane confirmaretur aut saltem adjuvaretur romanticorum usus. Altero sermone persuasus est omnino. Itaque tunc ausus est (quod antea nemini) versus suos amico novo existimandos deferre (2). Quibus poematibus statim perlectis, *Hugo*, sine ulla mora, hanc epistulam anxio juveni misit : « *Ce samedi [mi-février 1827]. — Venez vite, Monsieur, que je vous remercie des beaux vers dont vous me faites le confident. Je veux vous*

(1) Vide LAIR, Op. laud., p. 321.

(2) Vide *Lundis*, XI, 592 et *Portraits Contemporains*, I, 489.

dire aussi que je vous avais deviné (moins peut-être à vos articles si remarquables d'ailleurs, qu'à votre conversation et à votre regard) pour un poète. Souffrez donc que je sois un peu fier de ma pénétration et que je me félicite d'avoir pressenti un talent d'un ordre aussi élevé. Venez de grâce ; j'ai mille choses à vous dire ; ou faites moi savoir où je pourrais vous trouver. — Votre ami, V. H. » (1). Et statim poeta laudatus, ut fit, laudatoris partes hinc jam secutus est.

Sed quamquam ad fidem romanticam sese jam contulerat, nihilominus in contrarias sententias animus ejus distrahebatur. Neque enim præcepta, quæ, classicorum operibus studiose lectis sedulaque manu versatis, penitus menti insita erant, primo quoque tempore perire atque exstingui poterant ; neque quodcumque romantici scriptores audacius audebant, primo quoque tempore felix et omni parte perfectum videri. Itaque hæsit aliquamdiu noster; cujus si diligenter perlegantur scripta, quæ a mense Februario anni millesimi octingentesimi vicesimi septimi usque ad mensem Quintilem anni millesimi octingentesimi vicesimi octavi composuit, animi dubii ac solliciti multa signa inveniantur (2).

Quæ inveniemus quoque in primo textu libri, de quo

(1) Vide V. Hugo, *Correspondance, 1815-1835*, p. 262.

(2) Vide Michaut, Op. laud. cap. VI.

quæstionem instituimus. Die enim quarto decimo mensis Aprilis, de poeta *Malherbe* talia typis mandabat :

Les changements matériels introduits par Malherbe dans la poésie sont moins nombreux qu'on le croit généralement. *Il comprit que l'enjambement d'un vers sur un autre était contradictoire avec la rime* et le proscrivit, bien que Ronsard l'eût toléré d'après une *fausse* analogie tirée du grec et du latin. Il bannit également l'hiatus dans tous les cas ; mais ici on a quelque droit de lui reprocher un scrupule mal entendu. S'il est en effet des concours de voyelles qui choquent et qu'il importait d'interdire, il en est aussi qui plaisent et qu'il convenait d'épargner. Les anciens trouvaient une singulière douceur dans les noms propres de « Chloé », « Danaé », « Laïs », « Leucothoé »; quoi de plus doux à prononcer que notre verbe impersonnel « il y a » ? Les élisions d'ailleurs ne font-elles pas souvent un plus mauvais effet que les hiatus ? La Fontaine s'est donc avec raison permis d'oublier par moments la règle trop exclusive de Malherbe. *Celui-ci a été mieux conseillé par son oreille*, lorsqu'il a prescrit l'élision de l'e muet final précédé d'une voyelle, comme dans les mots « vie », « joie », qu'on faisait avant lui de deux syllabes. Quant aux diverses formes de l'ode, il n'en a inventé aucune, mais les a toutes empruntées à Ronsard et aux autres poètes de la Pléiade, etc. (1).

Hic est locus classicis doctrinis plenus ; quo perlecto non dubium est quin *Sainte-Beuve* se profiteatur fautorem doctrinarum ab antiquis traditarum. Si enim emendationes,

(1) Vide G. — Qui locus magnopere mutatus est in **S, 188, C, 148** et **L, I, 256.**

quas *Malherbe* in arte versificandi fecit, minoris esse momenti ponit quam censuerat *Boileau*, a classico critico in hoc solum dissidet quod negat quasdam factas esse et quod putat inanes fuisse causas cur quædam (non omnes : tantum abest !) factæ sint. Item si, de vocalium concursu, quodam modo extenuat leges strictas in *Arte poetica* latas, auctorem sibi præfert non quemdam e novis scriptoribus, sed merum classicum ut *La Fontaine* : adde quod auctorem annumerare licebat ei comicum *Molière* (et reipsa annumeravit postea) (1) ac denique obtestari poterat (si voluisset, aut fortasse si hoc tempore locus fuisset ab eo notus) criticum *Marmontel* (2), — quem sane haud contendas cum ephemeride *La Muse française* aut romantico *Cenaculo* consensisse. Quod autem attinet ad versus ultra limites suos salientes aut vocalem surdam *e* elidendam, sicut *Boileau* ipse, et sine ullis exceptionibus, leges a *Malherbe* latas suffragio suo comprobat, ita ut sententiæ ejus valde delectarent eos quibus novæ romanticorum doctrinæ quam maxime displicerent.

Quattuor jam mensibus interjectis, *Sainte-Beuve* in iisdem doctrinis permansisse videtur. Nam, cum, quarto decimo die mensis Quintilis, seriem orsus est undecim

(1) Vide S, 189, C, 149 et L, I, 257.

(2) Ibid.

capitum de sexto decimo seculo, illam se compositurum esse denuntiat, his, ut jam vidimus, verbis :

La série d'articles... portera particulièrement sur l'époque décisive de 1550, où *l'imitation de l'antiquité vint brusquement interrompre le développement naturel et lent de notre vieille littérature gauloise* (1).

Qua sententia non significat se magna voluntatis inclinatione in res inusitatas propendere quas *Pleiadum* scriptores adorsi sint. Instar *Boileau* ipsius, censere videtur omnia a *Ronsard* indiscrete fuisse commixta ; et si temperatius illum culpat, expresse tamen culpat.

Initio quidem primi capitis, clarissime denuntiatur quantum *Artis poeticæ* scriptor, valeat apud nostrum criticum, cum scribat :

La langue poétique n'était pas formée en France au commencement du XVIe siècle ; aucun homme de génie, comme il en apparaît quelquefois à l'origine des littératures n'avait imprimé l'autorité de règles à ce qui n'est d'abord qu'un heureux choix d'instinct ; aucun écrivain à grandes pensées comme Homère ou Dante n'avait de bonne heure senti les besoins, deviné les secrets de la versification, et, une fois trouvés, ne les avait inculqués à ses contemporains à force de poésie. *La rime* presque seule suffisait à l'oreille indulgente de nos bons aïeux et leur *tenait*

(1) Vide G. — Hæc adnotatio neque in S, neque in C, neque in L, perscripta est.

lieu d'ornements, de nombre et de césure. Quelques contes grivois, quelques propos naïfs d'amour et de table n'exigeaient guère des ressources plus grandes et, dans l'agréable entrelacement d'un *triolet,* dans la chute bien amenée d'un *rondeau,* dans le refrain naturel et facile d'une *ballade,* il y avait assez pour surprendre et charmer. Vers le milieu du xve siècle, ces essais modestes avaient dû quelques *grâces nouvelles* à Charles d'Orléans et à Villon. Les premiers, ils ont *débrouillé* un genre de poésie qui a surtout réussi dans l'âge suivant, et dont l'esprit se transmettant même après que la langue eût permis au génie tout son essor, a continué sous des plumes légères et brillantes de faire le charme et la gloire de la France... (1)

« *Tenait lieu d'ornements, de nombre et de césure* », « *les grâces nouvelles* », « *débrouillé un genre* » : agnoscis profecto verba ipsa quibus usus erat *Boileau* dociliter denuo adhibita, sicut « *triolets* », « *rondeaux* » et « *ballades* », poematum genera iisdem nominibus quibus enumeraverat ille, rursus enumerata. Nec opiniones minus fideliter redduntur. Igitur nihil est in hoc procemio quod non declaret criticum *Arte poetica* imbutum esse et omnibus in rebus summam fidem legum classicarum scriptori tribuere.

Frustra, die septimo decimo mensis Octobris, *Sainte-Beuve* coactus est fateri magistrum suum aliquantum erravisse, nec negare potuit illum poematum quorumdam (*bal-*

(1) Vide G. — Hic locus omnino mutatus est in S, 1 sqq, C, 5 sqq et L, I, 9 sqq.

lade et *rondeau*) historiam parum perspectam habuisse (1). Nihilo secius partes ejus sequitur. Hoc enim auctore, in capite quod primo die mensis Septembris edidit, invectus est in poetas sexti decimi seculi, quod intemperanter novis rebus studuissent ; fusius demonstravit illos in eo reprehendendos esse quod modum haud servavissent :

Les lauriers d'Athènes et de Rome soulevaient ces jeunes cœurs.... *Ils allaient même jusqu'à mépriser* ces humbles *mais piquantes* productions du terroir gaulois... La frivolité des poètes français ne leur inspirait aussi qu'une fort médiocre estime : ils la jugeaient du haut de leur érudition, *et ne se souvenaient pas assez* que cette frivolité diminuait de jour en jour et que la poésie n'était déjà plus une simple affaire de cabaret ou de salon... La réforme en un mot s'introduisait peu à peu dans la poésie, et les hommes qui la cultivaient ne restaient aucunement étrangers au mouvement intellectuel. *C'est ce qu'oublièrent trop* les jeunes disciples de l'antiquité. Colorant leurs *préjugés* d'érudits de toutes les *illusions* de la jeunesse et du patriotisme, ils prononcèrent qu'il n'existait rien en France et se promirent de créer tout... (2)

Difficile quis credat illum *Pleiadum* partes inconsiderate fovisse qui talia scriberet.

Proximum autem caput post viginti dies, die vicesimo mensis Septembris, typis tantummodo mandatum est. Et

(1) Vide L, I, 153.

(2) Vide G. — Istius loci quædam verba mutata sunt in S, 56, C, 46 et L, I, 82.

forsitan putes, mediis his diebus, *Sainte-Beuve* aliquantulum sententiam mutavisse et jam ad mitiora inclinasse.

Non tamen doctrinis plane assentiebatur quas *du Bellay*, in libello, qui *Défense et Illustration de la langue française* inscriptus est, exposuerat. Multum etiam abest. Etenim juveni et imprudenti poetæ crimini vertit quod incaute poemata, *rondeaux* et *ballades*, innocentia quidem quamvis paulum obsoleta, ægre tulerit ; quod epigrammata elegosque *Marot* nostri contempserit, dum eclogas ejus, frigidis similitudinibus inquinatas, intempestive laudet ; quod mirabilia quædam effici persuasum habuerit, nomine « *coq-à-l'âne* » in nomen « satira » converso ; quod veteres cantilenas nostras prohibuerit ; quod denique non intellexerit Gallicum mimum, sive « *farce* », aliquando veram sinceramque comœdiam esse ; atque ita perorat :

A tout prendre, la réforme proclamée par du Bellay comme une découverte de la veille, se réduisait à deux parts, dont l'une n'est pas aussi neuve, ni l'autre aussi praticable qu'il le prétendait.

Deinde, cum de poetis horum temporum promissa a *du Bellay* implere conantibus locutus est, non minus acerbe scripsit. Nam illos incusat quod linguam, ut ita dicam manu factam, fabricare enisi sint, illuditque illos quod

simul et profanum vulgus odissent atque arcerent et litteras patrias popularesque se instauraturos ridicule jactarent :

Qu'est-il donc advenu, que devait-il advenir de cette langue savante construite sur la langue populaire ? La langue populaire a fait un pas, et tout l'échafaudage de la langue savante a croulé. L'accident était soudain, et *comme le sublime désappointé touche au grotesque,* un long éclat de rire a éclaté comme à une chute de tréteaux (1).

Sed, si denuo verbo ipso « *grotesque* », a *Boileau* usurpato, *Sainte-Beuve* utitur, neminem fugit illud certe reliquo sermone attenuari minuique. Etenim *Sainte-Beuve*, postquam de his inceptis tam acriter existimaverat, videtur nescio quo amore erga scriptores captum esse, qui hæc suscipere ausi sunt. Laborem, quem ceteri observantes in cachinnum effusi sunt, mente æquissima animoque intento expendit. Cum ipse, quid in poesi posset tentans, quantum inter cogitata et effecta interesset expertus esset, eum juvat illorum errorem profiteri non vulgarem fuisse atque amice renuntiare quam pulchra fuissent illorum lucubrationes et sedula studia et sancta poeseos superstitio, ut misereatur ingeniorum sublimium cum adversa lingua conflictantium, et illorum cruciatu cum illis afficiatur. Quapropter operam navat ut patefiat quidquid e scholæ ruinis boni tamen successerit, immo ut plane certum fiat

(1) Vide G. — Qui locus non mutatus est : cf L, *I*, 93-95.

cladem ipsam fecundam fuisse, et illorum conatus non modo utiles, sed etiam necessarios fuisse ut magis prospero eventu feliciores insequentes uterentur.

Ab hoc igitur vicesimo die mensis Septembris, mediam quamdam viam tenet *Sainte-Beuve.* Etsi nonnunquam in modum improbantis loquitur, tamen ei curæ est digna quæ laudentur commonstrare ; etsi quædam etiam vituperat, curiose perscrutatur quæ culpam levent. Haud absurde illum aliquando dicas laborem intermisisse ut sive cum *V. Hugo* sermones haberet, sive *Artem poeticam* retractaret, et, cum se labori reddidisset, tunc, alterutrius auctoritate impulsus, modo *Ronsard* ceterosque *Pleiadum* poetas detractasse, modo laudibus extulisse. Unde fit ut capita ephemeridi inserta, tunc aspera, tunc remissa sint.

Etenim poetæ *Ronsard* vitam dicit fabulam quamdam simul sublimem et ridiculam :

> ... un drame mêlé d'héroïsme et de *grotesque* (1).

Quibusdam jucundis locis ex operibus ejus allatis, addit :

> Ce ne sont là que des beautés éparses. *Le plus souvent,* tous les cinq ou dix vers environ, une expression, une image triviale *fait grimacer ce style qui veut être sérieux,* et, comme une note criarde au milieu d'un ton grave, nous avertit que *Ronsard forçait son instrument* (2).

(1) Vide **G**, 20 sept. — Hic locus non mutatus est : cf **L**, I, **110**.

(2) Vide **G**, 4 oct. — Qui locus mutatus est in **S**, **88** et **C**, **68** et **L**, I, **120**.

Scribit postea :

Nous n'analyserons pas les ouvrages de Ronsard. *Composés d'après un système,* ils sont empreints d'une *fastidieuse uniformité. Trop rarement,* on y entrevoit sous l'imitation les sentiments et les pensées intimes de la poésie (1).

aut :

L'invention... *n'a rien d'original chez Ronsard et ses amis ;* ce n'est qu'une *copie froide calquée sur les créations des anciens.* ... La langue dans laquelle écrivaient ces novateurs est devenue pour nous *une espèce de langue morte* et nous ignorons ce qu'est par rapport à elle l'élégance ou l'incorrection. Marot, *suivant la remarque si juste de La Bruyère,* Marot, par son tour et par son style semble souvent avoir écrit depuis Ronsard et il n'y a guère entre lui et nous que la différence de quelques mots... *Le dialecte* que Ronsard a voulu greffer sur la souche commune s'est flétri et détaché (2).

aut de *du Bellay* :

Sans parler de plusieurs choses agréables qu'on trouve mêlées à ses sonnets de « Méline » et de « Francine », il a imité ou si l'on veut traduit Théocrite dans « l'Amour vangeur » avec beaucoup d'élégance et de naïveté. Mais ces exemples sur lesquels peut s'exercer bien sûrement notre critique, sont chez lui *trop rares pour nous permettre de récuser le jugement peu avantageux* de Pasquier et de Du Perron (3).

(1) Vide **G**, 13 oct. — Qui locus omnino mutatus est in **S, 93, C, 71** et **L**, I, **126**.

(2) Vide **G**, 17 oct. — Qui locus magnopere mutatus est in **S, 108, C, 84** et **L**, I, **149**

(3) Vide **G**, 27 oct. — Cui loco contradictum est in **S, 108, C, 85** et **L**, I, **149**.

aut denique, de poetarum sexti decimi seculi conventu toto, ut de illis judicium definiat :

Sans vie réelle, sans originalité propre, l'école de Ronsard, quand elle eut épuisé l'imitation grecque et latine se jeta plus particulièrement sur l'imitation italienne et l'épuisa comme l'autre : *pour elle, c'était là se perfectionner* (1).

Quæ omnia profecto parum mitia esse videbuntur.

Sed, cum hæc sint satis aspere dicta, sunt tamen dissimilia haud minus frequenter enuntiata. Quamquam enim *Sainte-Beuve* suffragio suo comprobat et ipse iterum decernit quidquid inclementer decreverunt *Malherbe* et *Boileau,* persuasum habet illos sententiam dixisse nec sine ira nec sine amaritudine. Quapropter arbitratur gloriam qua inter æquales suos *Ronsard* floruerit, causis justis allatis, et explicari et etiam comprobari posse ; et a lectoribus postulat ut benevolo aut potius æquo animo se præbeant erga poetam irrisum, quo melius intellegant saltem illum clarum habitum fuisse :

Les traductions satisfaisaient peu les goûts littéraires des érudits... ; s'ils daignaient songer quelquefois à la langue maternelle, c'était pour regretter qu'elle ne fît pas d'elle-même quelque tentative plus libre dans les voies antiques. Ronsard sentit ce besoin, *et y répondit merveilleusement.* Admirateur des anciens

(1) Vide G, 8 nov. — Hic locus valde mutatus est in S, 127, C, 102 et L, I, 181.

avec une certaine indépendance d'esprit, au lieu de les traduire, il les imita ; toute son originalité, toute son audace est d'avoir innové cette imitation... Il déploya dans ces cadres d'emprunt *une verve assez animée* pour qu'on lui en sût alors un gré infini. C'était *la première fois* que la physionomie du passé semblait revivre dans notre idiome vulgaire (1).

Eadem voluntate in infelicem poetam animatus, capite quodam, quod profecto contra opinionem plerorumque legentium videtur fuisse (2), genus scribendi ab eo adhibitum excusat, temporum judicia et loquendi mutatas consuetudines prætendens ; eum culpa vacare asserit quod gallice dicens, græce et latine dixerit ; immo asseverat eum verbis mutuandis majorem opinione moderationem adhibuisse ; ad rationes ejus denique penitus se adjungens, cogitatione depingit quam prospere lingua ab eo commixta, magis secundis temporibus, invalescere potuisset, et exclamat :

Qui pourrait dire que le siècle de Louis XIV n'eût pas été prévenu et que, parmi nos ancêtres littéraires, Ronsard, quoique avec moins de génie, *n'eût pas tenu la place qu'occupe aujourd'hui le Grand Corneille ?* (3).

Alias criticum juvat versus quosdam proferre a *Ronsard* compositos, quos omni parte perfectos existimat (4). Et

(1) Vide G, 4 oct. — Hic locus non mutatus est : cf S, 88, C, 67 et L, I, 119.

(2) Vide adnotationem in S, 89, C, 68 et L, I, 120.

(3) Vide G, 4 oct. — Hic locus non mutatus est : cf S, 93, C, 71 et L, I, 126.

(4) Vide G, 4 oct. — Versus non allati sunt in S, neque C, neque L.

summa jucunditate affici videtur, cum sibi quasi Gallicus Anacreon aut *Marot* renatus ille *Ronsard* appareat :

Mais le croirait-on ? ce qui nous plait surtout et ce qu'on s'aviserait le moins de chercher dans l'auteur, c'est l'ode épicurienne, anacréontique, la chanson en un mot, telle que Marot déjà la savait faire, telle que du Bellay la faisait tout en la déprisant. Ici, point de prétention ni d'enflure, *une mélodie soutenue, des idées voluptueuses et de fraîches couleurs* : la langue de Marot est retrouvée, *mais avec plus d'éclat* (1).

aut :

Est-il besoin de faire remarquer le vif et naturel mouvement de ce début : « Mignonne, [allons voir... » ? Et pour le style, quel progrès ! que d'images ! « La robe de pourpre », « laissé cheoir ses beautés », cet âge qui « fleuronne en sa verte nouveauté », « cueillir sa jeunesse », « moissonner ses désirs » ! Et ce retour si plein à la fois de tristesse et d'insouciance : « Las ! le temps, non ; mais nous nous en allons ! » *Malherbe a-t-il bien osé biffer de tels vers, et Despréaux les avait-il lus ?* (2) »

Longius etiam progressus est *Sainte-Beuve*. Semel — adnotatione quadam fateor, quasi ima pagina cuperet audacius judicium latere, — poetæ non modo ingenium sed et rationem et doctrinam scribendi laudare audet, ita ut

(2) Vide **G**, 13 oct. — Hic locus mutatus est in **S, 94, C; 71** et **L**, I, **126**.

(3) Vide **G**, 13 oct. — Hic locus, in **S** recisus, mutatus est in **C, 72** et **L**, I, **128**.

haud secus atque romanticus quidam scriptor, illum cum poeta *Chénier* comparet, et haud secus atque romanticus scriptor, legum classicarum auctores *Malherbe* et *Boileau* erravisse significet :

On peut comparer cette imitation exquise de Bion avec la seconde élégie d'André Chénier. On trouvera même entre la manière de ce dernier et celle de Ronsard plus d'une ressemblance *à l'honneur de tous deux*. Une facture originale des vers ; des formes de phrases antiques et neuves à la fois ; une allure pressée, inégale et libre ; point de traînantes appositions, d'épithètes oiseuses, de mouvements compassés. *C'est que Ronsard est venu avant les préceptes de Malherbe et de Boileau ; c'est qu'André Chénier a su s'en affranchir, et cela par instinct de génie plutôt que par système d'innovation*. L'un n'avait pas appris, l'autre avait oublié les pas artistement cadencés du menuet poétique (1).

Quæ cum ita scripta sint, quid est causæ cur versus a *Ronsard* et *Chénier* compositi laudentur, nisi quod illi poetæ non secuti sint præcepta a *Malherbe* et *Boileau* tradita. Unde facile inferas ista præcepta poesi detrimentum attulisse, quibusdam saltem partibus. Ubi tempora, quibus *Sainte-Beuve* laudibus extollebat, quem nominabat « *le poète de la raison* » aut « *le maître et le rival de Racine* », et illis gratulabatur qui satis audaces erant ut

(1) Vide G, 4 oct. — Qui locus mutatus est in **S, 109, C, 73** annot. et **85**, et **L, 130** annot. et **150**.

legislatorem colerent et imitarentur ? Nunc illum magistrum rejicit aut rejicere videtur.

His igitur mensibus, quibus in ephemeride capita operis emittuntur, fluctuatur animo *Sainte-Beuve* : nunc blandimentis romanticæ doctrinæ allicitur, nunc quasi se recipit, sed ut breviter ac magis illecebris ejus cedat ; a doctrina quam antiqui tradiderunt recedere dubitat, sed recedit ; non est romanticus ac in dies magis fit. Quæ fluctuantes sententiæ aperte his, oblivione obrutis et in ephemeride tanquam sepultis, lectionibus denuntiantur, quas nunc eruimus.

IV

Quomodo opus suum, in libri formam cum primum redacturus esset, ita emendaverit Sainte-Beuve, **ut illud meram integramque romanticorum doctrinam exprimeret promoveretque.**

Mense Novembri anni millesimi octingentesimi vicesimi septimi, typis mandata erant ultima quæ *Sainte-Beuve*, paulum inclementer de *Pleiadum* poetis operibusque illorum judicaverat. Ex hoc enim die, censuris eo magis abstinuit quod vehementius romanticorum causam susciperet et partes eorum acrius sequeretur. In dissertationibus quas, præter operis capita, ephemeridi inserendas componebat, licet illum prospicere quasi pedetentim ad romanticorum disciplinam iter dirigentem ; et primis jam

mensibus anni millesimi octingentesimi vicesimi octavi totus in eam migrarat (1).

Cum, die tricesimo mensis Aprilis undecimum ultimumque caput, *La Satyre, Mathurin Régnier, ses démêlés avec Malherbe*, ederet, hæc monebat legentes:

> Pour compléter ces études sur la poésie française au XVIe siècle, il nous resterait à parler de d'Aubigné et surtout de Malherbe ; mais il a déjà été question de ce dernier et de sa réforme, dans un article à part (t. V, n° 5). On n'y reviendra donc pas ici. D'ailleurs tous ces articles sur la poésie seront recueillis et publiés prochainement avec des développements nouveaux. On y joindra une histoire du théâtre durant le même siècle (2).

Sed hoc ipso tempore, quo se ita prædicabat opera completurum esse et perfecturum, jam et compleverat et perfecerat, si quidem fides habenda videtur ultimæ libri editioni, qua denuntiat perorationem mense Aprili anni millesimi octingentesimi vicesimi octavi compositam fuisse (3). Prima autem editio, ut notum, undevicesimo die mensis Julii emissa est.

Ceterum materiam, non jam singulis capitibus expositam, sed in unum librum redactam, ita retractatam esse ut ample dilataretur, clare patebit, si quis duodecim capita

(1) Vide MICHAUT, Op. laud. cap. VI.

(2) Vide G. Quæ annotatio neque in S, neque in C, neque in L, servata est.

(3) Vide L, II, 44.

ephemeridis comparaverit cum trecentis sex et nonaginta paginis voluminis. Est tamen quod notandum mihi videatur. Nam, opere nimia fortasse celeritate recognito, accidit ut quædam perturbantia et inter se discrepantia relinquerentur. Tricesimo enim die mensis Aprilis (ut exemplum afferam), cum in ephemeride *Sainte-Beuve* de poetæ *Régnier* satiris disseruisset, opera quoque imitatoris ejus, *Vauquelin de la Fresnaye*, tractavit ; de quibus hæc scripsit :

Il ne parut point d'essais un peu suivis dans ce genre de poèmes, jusqu'à Vauquelin de la Fresnaye, qui florissait sous Henri III. Cet écrivain instruit et laborieux, doué d'un goût sain et d'une verve tempérée, prit à tâche de suivre Horace pas à pas et, après avoir rimé un « Art poétique » qui est curieux encore aujourd'hui par plusieurs détails d'histoire littéraire, il composa à l'instar de son modèle un assez grand nombre de satires ou épitres morales etc. (1).

In libro autem placuit scriptori, antequam *Régnier* ipsum attingeret, de libellis a *Vauquelin de la Fresnaye* compositis disputare, de quo locutus est iisdem fere verbis :

Il écrivit sous Henri III un « Art poétique » en vers, fort judicieux par les préceptes et *curieux encore aujourd'hui par beaucoup de détails d'histoire littéraire* (2).

(1) Vide **G**. — **Cf, S, 164, C, 131**, et **L**, I, **228**.

(2) Vide **S, 143** sqq, **C, 113** sqq et **L**, I, **199** sqq.

Deinde, cum ante oculos habuit, suo loco inserendum volumini, illud de poetæ *Régnier* satiris caput, quod ephemeridi fuerat insertum, putavit res a se iteratas verbis « ut jam supra dictum est » excusari posse :

Il rima, *on l'a dit*, un « Art poétique » (1).

Sed eum fugit se, hoc loco, de *Vauquelin de la Fresnaye* judicium promere, quasi iste legentibus ignotus et novus esset, ut erat quidem, sed ephemeridem non librum legentibus.

Sed in præsentia, nostra minus interest quæ aut quomodo quam cur et qua mente mutata sint cognoscere. Hoc autem præsumptum et jam antea cognitum habemus. Vidimus enim quæ facta sint scriptoris studia. Et ipse in præfatione, aperte declaravit controversiis, seculo sexto decimo de genere dicendi disceptatis, se commixturum esse contentiones seculo undevicesimo ortas, id est inter classicos et romanticos certamen, et significavit fere aperte novas partes se suscepturum. Ceterum, anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, legentium neminem ea res fefellit. Die enim undevicesimo mensis Julii ab ephemeridis *Le Globe* conscriptore quodam dictus est : « *un critique ami de ce qu'on appelle le romantisme* » ; et die quarto men-

(1) Vide **S, 164, C, 131** et **L, I, 228.**

sis Novembris, in eadem ephemeride *Rémusat* quæ sibi *Sainte-Beuve* proposuisset his verbis patefecit : « *C'est en songeant à son siècle, que M. Sainte-Beuve a entrepris de visiter les ruines du XVIe Il a fait comme ces publicistes qui aiment à retrouver dans nos antiques lois, dans nos codes oubliés, les germes de nos constitutions politiques. Il a voulu voir si, maintenant qu'il est tant question de reconstituer la littérature et, comme le gouvernement, de la rendre libre et nationale, il ne découvrirait pas dans ses origines des titres et des autorités : pour lui frayer une nouvelle route, il l'a ramenée à son point de départ* ».

Quid reipsa *Sainte-Beuve* in animo habuerit plane cognoscas, si recenseas quid in hac editione mutaverit.

Primum enim, in exordio nihil jam queritur de interruptis inepte veteribus Gallicis litteris, cum sponte et leniter crescerent. Nam cum *Sainte-Beuve* poetarum causam suscepisset, qui novis rebus faverent et non minus abrupte ac *Pleiadum* poetæ omnia ex antiquo movere conarentur, adnotationem suam (*La série d'articles qu'on se propose...*) delendam opinatus est, ut tolleretur vituperatio in hac adnotatione inclusa. Delevit etiam et quidquid e versibus a *Boileau* compositis excerpserat, et quidquid aut laudaverat aut sæpius reprehenderat, auctoritate ejus prolata. Locis quibusdam de linguæ et litterarum historia nunc jam exorditur liber, omni favore aut

odio seposito ; quibus inducuntur nomina poetarum *Charles d'Orléans* et *Villon.*

In prima autem libri ipsius parte, perpauca propter mutatam sententiam mutata sunt. De *Charles d'Orléans,* scilicet aut *Villon* aut *Marot* aut ceteris scriptoribus, licebat criticum in eis manere, quæ antea asseverasset. Cum enim liberum et candidum dicendi genus secuti essent, atque nonnulla mutuati essent e litteris quibusdam alienigenis, auctores videri poterant ad quædam romanticorum præcepta confirmanda; simul, cum opera nobilibus virtutibus et viribus destituta atque parum alta composuissent, exemplo suo comprobare videri poterant audax inopinatumque facinus a *Pleiadum* poetis tentatum, — quorum poetarum se fautores et heredes esse romantici profitebantur. Itaque primis in paginis nihil notandum videtur.

Sed ubi primum pervenit *Sainte-Beuve* ad poetam *du Bellay,* ejusque libellum qui inscribitur *Défense et Illustration de la langue française,* tunc mirum in modum emendat sententias et mutat judicia. Eniti studiose criticus videtur ut poetas sexti decimi seculi commendet, quos detrectaverat, et nomina poetarum undevicesimi seculi quam sæpissime interponat, quibus nunc favet. Brevibus enim verbis et satis asperis carmina judicaverat a *du Bellay* composita :

Du Bellay a composé des odes où se rencontrent *quelques* strophes d'un ton soutenu. Dans plusieurs « Épitres » au roi, dans l' « Hymne à la surdité » et le « Poète courtisan », il manie l'hexamètre avec aisance et gravité. Ses « Jeux rustiques » renferment quelques petites pièces pleines de grâce et de douceur (1).

Nunc autem in hunc modum dicta emendat :

Du Bellay a composé des poésies lyriques où se rencontrent *beaucoup* de strophes d'un ton *élevé* et soutenu (2);

et quæ poemata titulis solum enumeraverat, nunc integra affert libenter ; immo, cum ea affert, in lucem profert quam similia sint poematibus, quæ illustres æquales, *Lamartine* et *Victor Hugo* nuper protulerant :

Dans l'ode à deux demoiselles, lorsqu'après avoir célébré « leurs beautés », il les engage à fuir « les façons cruelles » et à laisser « conduire leurs nefs au port de l'hyménée », on croit entendre le *poète moderne qui montre à sa bien aimée le golfe chéri...*

aut :

Victor Hugo n'a pu trouver pour la charmante ballade de « Trilby » de plus sémillante épigraphe que cette chanson de du Bellay... (3).

Quondam animadverterat breviter cantilenas composuisse *du Bellay,* quæ conferri possent cantilenis a *Marot* fictis.

(1) Vide G. 20 sept.

(2) Vide **S, 73, C, 57** et **L, 1, 100.**

(3) Vide **S, 75, C, 58** et **L, I, 102.**

Nunc autem hæc addit verba (nec quemquam fugiet qua mente) :

On est frappé entre autres mérites, de la *libre allure* et en quelque sorte de la fluidité courante de la phrase poétique, qui se déroule et serpente sans effort à travers les sinuosités de la rime (1).

Denique poematibus allatis longum sermonem interponit, quo studiose defendit et celebrat romanticorum de metris numerisque præcepta :

Dans plusieurs épitres de du Bellay, dans l' « Hymne à la surdité » et le « Poète courtisan », l'alexandrin est manié avec la gravité et *surtout l'aisance* qu'il avait durant ces premiers temps de rénovation. Malherbe ne lui avait *pas encore imposé* comme loi de sa marche le double repos invariable du milieu et de la fin du vers. Si le mouvement de la pensée était plus fort, *la césure obéissante et mobile se déplaçait;* et, bien qu'elle ne disparût jamais complètement après le premier hémistiche, elle ne faisait en ce cas qu'y glisser en courant, y laisser un vestige d'elle-même et s'en allait tomber et peser ailleurs, *selon les inflexions du sens et du sentiment.* La rime aussi, au lieu d'être un signal d'arrêt et de sonner la halte, intervenait souvent dans le cours d'un sens à peine commencé et alors, loin de l'interrompre, *l'accélérait plutôt en l'accompagnant d'un son large et plein. Cet alexandrin primitif, à la césure variable, au libre enjambement, à la rime riche,* qui fut d'habitude celui de du Bellay, de Ronsard et de d'Aubigné, celui de Molière dans ses comédies en vers et de Racine dans ses « Plaideurs », que Malherbe et Boileau *eurent le tort* de mal comprendre et de toujours combattre, qu'André Chénier à la fin du dernier siècle, recréa avec une incroyable audace et *un bonheur inoui : cet alexandrin est le*

(1) Vide **S, 76, C, 56,** et **L, I, 104.**

même que la jeune école de poésie affectionne et cultive et que tout récemment Victor Hugo par son « Cromwell », Emile Deschamps et Alfred Devigny par leur traduction en vers de « Roméo et Juliette » ont réintroduit dans le style dramatique. Nos vieux poètes ne s'en sont guère servis que pour l'épitre et la satire, mais ils en ont connu les ressources infinies et saisi toutes les beautés franches. *On est* HEUREUX *en les lisant de voir à chaque pas se confirmer* VICTORIEUSEMENT *une tentative d'hier, et de la trouver si évidemment conforme à l'esprit et aux origines de notre versification* (1).

Haud secus de poetæ *Ronsard* carminibus aspere aliquando judicaverat *Sainte-Beuve*. Nunc autem quidquid objecerat, extenuat, quidquid vero laudaverat, auget. Utriusque textus enim verba confer :

G, 13 oct.

Nous n'analyserons pas les ouvrages de Ronsard : *composés d'après un système, ils sont empreints d'une fastidieuse uniformité. Trop rarement,* on y entrevoit sous l'imitation les sentiments et les pensées intimes de la poésie L'élégie sur la coupe d'une forêt fait exception et se ressent d'un bout à l'autre de la mélancolie vraie qui l'a inspirée. *Mais le croirait-on ?* Ce qui nous plait sur-

S, 93. (1)

Mais sans rechercher ici ce qui aurait pu arriver en des conjonctures plus opportunes de cette langue savante inventée par Ronsard, et si l'on n'envisage de sa réforme que la portion plus humble et plus durable, *il a bien assez fait de ce côté pour que son nom soit entouré de quelque estime et de quelque reconnaissance.* A ne le prendre que dans des genres de moyenne hauteur, dans l'élégie,

(1) Vide S, 77. — Cujus loci quædam verba mutata sunt in C, 60 et in L, I, 105.

(2) Cf C, 71, et L, I, 126.

tout et *ce qu'on s'aviserait le moins de chercher dans l'auteur*, c'est l'ode épicurienne, anacréontique, la chanson en un mot, telle que Marot déjà la savait faire, telle que du Bellay la faisait tout en la déprisant. Ici, point de prétention ni d'enflure, une mélodie soutenue, des idées voluptueuses et de fraiches couleurs; la langue de Marot est retrouvée, mais avec plus d'éclat.

dans l'ode épicurienne, dans la chanson, *il y excelle* ; et *le charme mêlé de surprise qu'il nous fait éprouver n'y est presque plus ici comme ailleurs gâté de regrets ;* une mélodie soutenue, des idées voluptueuses et de fraîches couleurs. La langue de Marot est retrouvée, mais avec plus d'éclat ; *elle a déjà revêtu ces beautés vives qui plus tard n'appartiendront qu'à La Fontaine.*

et infra :

G, sqq.

Que conclure de ces citations... ? qu'il y eut vraiment deux poètes en Ronsard : l'un... ; l'autre encore naïf et déjà brillant, fidèle au génie de notre langue et à ses propres inspirations, qui perfectionna Marot et fut en quelque sorte le Malherbe de l'ode légère.

S, sqq

Que conclure de ces citations... ? On dirait vraiment qu'il y eut deux poètes en Ronsard : l'un... ; l'autre encore naïf et déjà brillant, qui *continua*, perfectionna Marot, *devança et surpassa de bien loin Malherbe dans l ode légère...*

Facilis certe distinctio. Verum non modo *Sainte-Beuve* ita mutavit commentationem ut ingeniosum *Ronsard* studioso *Malherbe* longe anteponeret ; sed etiam vocabulum « *continua* », quod usurpavit, quamvis parum habere ponderis videatur, reipsa permagni est momenti. Ubi enim

illud interposuit et ut sententiam firmaret, hanc adnotationem addidit *Sainte-Beuve :*

La Bruyère a dit : « Marot par son tour et son style semble avoir écrit depuis Ronsard ». Oui, si l'on compare Marot avec Ronsard *le pindarique*; non, si on le compare avec Ronsard l'anacréontique (1).

Qua adnotatione valde contradicitur sensui quem *Sainte-Beuve* ipse in ephemeride expresserat, et quem infra invenies quoque, sed emendatum in hunc modum :

G, 27 Oct.

Marot, suivant la remarque *si juste* de La Bruyère, Marot par son tour et son style semble souvent avoir écrit depuis Ronsard et il n'y a guère entre lui et nous que la différence de quelques mots. Aussi sommes-nous bien plus compétents pour juger de l'un que de l'autre. La langue, telle que nous l'avons aujourd'hui, se continue sans interruption avec celle que parlait et écrivait Marot. *C'est le même tronc qui a été croissant* et grandissant. Le dialecte que Ronsard a voulu greffer sur la souche commune s'est flétri et détaché.

S, 108 (2)

Nous l'avons dit en effet, depuis Marot jusqu'à nous, le tronc commun *n'est pas allé* grandissant et croissant d'une force lente et continue. Ronsard y a voulu greffer un dialecte qui, trop différent de nature, s'est bientôt flétri et détaché.

(1) Vide **S, 94, C, 74** et **L, I, 132**,

(2) Cf **C, 85** et **L, I, 149**.

Quædam etiam, capiti quod tertio decimo die mensis Octobris typis mandatum est, aperte significantia quæ sibi proponeret, addit *Sainte-Beuve*. Legentes enim præmonet se volumen integrum impleturum esse versibus selectis istius *Ronsard* vetusti et obsoleti — plurimorum saltem judicio — , nec celat quam valde optet infamiam ejus delere :

« Lui-même, osons le dire, il n'a pas toujours été malheureux dans ses hardiesses généreuses. Là où le « peuple » des lecteurs serait tenté de l' « estimer enragé, furieux » et inintelligible, il suffit quelquefois de pardonner une expression basse, de comprendre un tour obscur, de pénétrer une allusion érudite, en un mot de soulever un léger voile pour le trouver éblouissant et inspiré. Ses beautés ont souvent besoin d'être démontrées avant d'être senties. C'est ce rôle délicat d'interprête que nous avons tâché de remplir dans le volume consacré en entier à Ronsard et à ses œuvres : *heureux, si nous avons réussi à venger sans fanatisme et à relever sans superstition une grande mémoire déchue !* (1).

Atque protinus, cum antea scripsisset :

La versification dut à Ronsard *plusieurs* progrès (2),

nunc scribit :

La versification dut à Ronsard *de notables* progrès. Et d'abord, il imagina une grande variété de rythmes lyriques et construisit

(1) Vide S, 95, C, 76 et L, I, 133.
(2) Vide G (18 oct.).

huit ou dix formes diverses de strophes dont on chercherait vainement les modèles chez les poètes ses prédécesseurs. Plusieurs de ces rythmes ont été supprimés par Malherbe, qui les jugea probablement trop compliqués pour être joués sur sa lyre à quatre cordes. *C'est seulement de nos jours que l'école nouvelle en a reproduit quelques-uns* (1).

Alii sunt loci, quorum — verbis lenibus adjectis — sensus ac multo magis etiam color mutantur :

G, 27 oct.	S, 108 (2)
L'invention en effet, de laquelle il est toujours aisé de juger, même à travers la distance des temps et la différence des langues, *n'a rien d'original* chez Ronsard et ses amis ; ce n'est *qu'une copie froide*, calquée sur les créations des anciens.	L'invention en effet, sur laquelle il est toujours aisé de prononcer même à travers la distance des temps et la différence des époques, n'a *presque* rien d'original chez Ronsard et ses amis : ce n'est *d'ordinaire* qu'une copie *plus ou moins vive ou pâle* des Grecs, des Latins, des Italiens.

aut immo, judicia lata sunt, quæ omnino a judiciis prioribus discrepant :

G, 27 oct.	S, 108 (3)
Les exemples sur lesquels peut s'exercer bien sûrement notre critique sont chez Baïf *trop rares* pour nous permettre de récuser le jugement peu avantageux de Pasquier et Du Perron.	Ces agréables exceptions sont même *assez nombreuses* chez lui pour nous permettre *d'adoucir un peu les jugements rigoureux* de Pasquier et Du Perron.

(1) Vide S, 96, C, 76 et L, I, 134.

(2) Vide C, 84 et L, I, 149.

(3) *Ib.*

Quod novum judicium studiose confirmatur, multorum poematum argumentis expositis, versibusque allatis et adnotationibus quam benignissimis interpositis (1).

Quod autem attinet non jam ad singulos scriptores, *Ronsard* aut *du Bellay* aut *Baif*, sed ad totum *Pleiadum* conventum, totamque litterarum restituendarum disciplinam, non minus clare patet quam vivido amore erga poetas et præcepta simul nunc incendatur *Sainte-Beuve*. Aut laudes addit :

Gracieuse image, qu'on serait tenté d'appliquer à la poésie de ce temps-là ! Elle aussi, on l'a « laissée flétrir dessus la branche par oubli » et nous venons bien tard aujourd'hui pour la cueillir ! Avec un peu de patience toutefois, *on est presque sûr de retrouver de ces beautés encore jeunes et fraîches* jusque chez les poètes d'alors les moins connus (2) ;

aut acerbiores sententias mutat :

G, 8 nov.	S, 127 (3)
Sans vie réelle, sans originalité propre, l'école de Ronsard, quand elle eut épuisé l'imitation grecque et latine, se jeta plus particulièrement sur l'imitation italienne et l'épuisa comme l'autre : *pour elle, c'était là se perfectionner.*	*Tout en effet n'était point barbare dans le première manière de Ronsard et de ses amis* : nous l'avons suffisamment montré. L'imitation italienne y entrait déjà pour beaucoup ; elle gagna de plus en plus et, dès que la fièvre pindarique fut tombée, elle prit

(1) Notandum mihi videtur, in libri editionibus, non jam genus scribendi versuumque componendorum a RONSARD sed a BAIF affectatum cum consuetudine poetæ CHENIER comparari.

(2) Vide S, 121, C, 97 et L, I, 170.

(3) Vide C, 102 et L, I, 181.

décidément le dessus sur l'imitation grecque et latine. *Pour une école peu originale, changer d'imitation, c'est, en quelque sorte se perfectionner.*

Sensum, quo absolvitur uterque locus, fere similem forsitan putes ; at re, quam dissimilis ! Cum enim in ephemeride omnia verba irrisione et contemptu quasi imbuta viderentur, nunc, in libro, omnia non modo remissa sed etiam secunda apparent.

Tanto studio est propensus *Sainte-Beuve* in *Pleiadum* poetas, ut illorum inimicos tamquam sui ipsius inimicos aversetur. Etenim cum in romanticorum *Cenaculum* aditus ei datus esset, volumen exhibitum est ei poematum a *Desportes* conscriptorum, quibus *Malherbe* propria manu multas adnotationes addiderat : librum amico suo commisit « bonus » *Nodier*. Sed, lectis animadversionibus istis, subtristibus quidem et injustis, *Sainte-Beuve* arsit vera iracundia. Itaque scripsit :

Nous aurions peine à rendre *la fâcheuse impression* qu'ont produite sur notre esprit le rigorisme, la malveillance et la *mauvaise foi* de ces notes critiques. Malherbe n'était certainement pas de sang-froid en les écrivant. Hormis le jour où il raya Ronsard, jamais le démon de la grammaire ne le posséda si violemment (1).

(1) Vide **S**, **128** adnot, **C**, **103** adnot et **L**, I, **182** adnot.

Tum, eo consilio ut lectores faciat acris sui doloris participes, inferiore pagina affert et verba a *Malherbe* animadversa et adnotationes quas versibus poetæ adjunxerat malevolus senex ; atque insuper, superiore pagina, « virum emunctæ naris » aliquando lacessit et irridet (1).

Infra, quid de romanticorum doctrinis sentiat aperit, dum fabulas dramaticas prædicat, quas e Gallicis annalibus deprompserat *Vitet* (2). Atque ubi satirarum scriptorem *d'Aubigné* attingit, cum illum summo favore prosequeretur *Hugo*, tunc admirationi indulget et in laudes se effundit sive ingenii ejus sive præsertim artis ad versus componendos adhibiti, utpote cui hac ratione liceret præcepta in *Cenaculo* vulgata commendare, necnon verba cari magistri *Hugo* proferre :

Au milieu des hautes beautés que tout lecteur aura remarquées en ce morceau, qu'il me soit permis de signaler un *admirable* détail technique. Je veux parler de cette toilette de Henri III si scrupuleusement décrite en termes propres, « ce corps de satin noir coupé à l'espagnole », « ces déchiquetures d'où sortent des parements », « ces manchons gauffrés de satin blanc et ces manches perdues ». Il n'y a qu'un alexandrin qui puisse et ose dire de telles choses : *c'est l'alexandrin « franc et loyal » comme l'appelle V. Hugo* (3).

(1) Vide **S, 134, 136, C, 107, 109** et **L, I, 189, 191.**

(2) Vide **S, 133, C, 106,** et **L, I, 187.**

(3) Vide **S, 182, C, 144** et **L, I, 249.**

Sed mihi nihil antiquius est quam ut ad dissertationem de *Malherbe* ipso scriptam perveniam. In qua omnia aut mutata aut emendata sunt, cum et prima omnium dissertationum composita sit, his temporibus quibus *Sainte-Beuve* sententias non modo non mutaverat sed ne mutare quidem cœperat, et in ea de quæstionibus ipsis actum sit, ad artem poeticam et numerorum legem et versuum formas pertinentibus, de quibus maxime mutavit sententias.

Etenim ubi primum ad hunc pervenit *Sainte-Beuve*, haud dubitanter confitetur apud se novorum scriptorum, et inde poetarum e quibus constarent *Pleiades*, gratiam prævaluisse. Nihilominus simul, cum sit sana et inconcussa mente præditus, qua inter dulcissimos etiam romanticos errores numquam derelictus sit (etsi postea se aliquantum insanivisse contendit), modum quemdam et sibi ipsi et studiis suis, ut ita dicam, constituit. Haud equidem scio an hoc placuerit sive ceteris romanticis scriptoribus, sive magistro ipsi : quo magis etiam notandum videtur, ut plane critici nostri cognoscatur ingenium. Qui scribit :

Nous aussi, avouons-le, nous qui venons de parcourir ces âges trop oubliés et d'y trouver çà et là d'utiles et agréables dédommagements, *nous ne pouvons nous empêcher d'en vouloir* à Malherbe pour son extrême rigueur. Déjà plus d'une fois, des mots amers, d'irrévérentes paroles nous sont échappées sur son compte. A force de vivre avec ses devanciers, *nous les avons aimés, et leur cause est presque devenue la nôtre*...

Illa quidem seduli neophyti sunt; hæc autem optimi judicis :

Il faut bien nous en détacher pourtant; voici le moment de la séparation venu : car, si l'arrêt est dur dans les formes, et si l'on peut en casser quelques articles, *il n'est que trop juste dans le fond* (1), etc.

Cum igitur in hunc modum suam doctrinam aperte professus est *Sainte-Beuve*, de *Malherbe* novum suum judicium profert. Quod vero ita priori judicio dissimile est, ut utrumque totum comparandum sit.

G, 14 ap. 1827	S, 188 (2)
Les changements matériels introduits par Malherbe *dans la poésie sont moins nombreux qu'on le croit généralement.*	Les changements matériels introduits par Malherbe *dans la langue et la versification sont nombreux et importants......* Nous allons en examiner et *en discuter* les articles principaux.
Il bannit également l'hiatus dans tous les cas; mais ici, on a quelque droit de lui reprocher un scrupule mal entendu	*1°)* Malherbe proscrit les rencontres de voyelles ou hiatus...... *Bien que nous approuvions en général cette réforme de Malherbe,* nous remarquerons *avec Marmontel,* que le réformateur est allé un peu loin et qu'on a le droit de lui reprocher un scrupule excessif..... Les élisions d'ailleurs ne font-elles pas
Les élisions d'ailleurs ne font-elles pas souvent un plus mauvais effet que les hiatus? La Fontaine s'est donc avec raison permis d'oublier par moments la règle trop exclusive de Malherbe.	

(1) Vide S, 185, C, 146 et L. I, 252.

(2) Vide C, 148 et L, I, 256.

souvent un plus mauvais effet que les hiatus ? Et pourtant on les tolère. La Fontaine *et Molière* se sont donc avec raison permis d'oublier quelquefois la règle trop exclusive de Malherbe.

Il comprit que l'enjambement d'un vers sur l'autre était *contradictoire* avec la rime, et le proscrivit, bien que Ronsard l'eût toléré d'après une *fausse* analogie tirée du latin et du grec.

2°) Celui-ci est allé bien plus loin encore dans son aversion contre les enjambements ou « suspensions »..... *Pour nous, il n'y a rien là-dedans qui nous scandalise ; et bien au contraire, nous aimons mieux cette cadence souple et brisée des alexandrins que de les voir marcher au pas, alignés sur deux rangs comme des fantassins en parade.*

[Et adnotatione *Sainte-Beuve* ad auctorem confugit, *Mlle de Gournay*].

3°) Autant en dirons-nous au sujet de la césure à laquelle Malherbe donne force de loi. Déjà l'on a vu combien sa critique était méticuleuse sur ce point..... *A quoi peuvent être bonnes de telles formules, sinon à aider la médiocrité et à entraver le talent ?*

4°) Malherbe a été un strict observateur de la rime..... *Nous ne saurions trop applaudir à la finesse et à la sagacité* de ses remarques : elles avaient d'autant plus de

mérite que Ronsard et son école avaient porté quelques atteintes à la rime autrefois si *riche* dans Villon et dans Marot. Il faut reconnaître pourtant que *sur ce point non plus que sur tant d'autres, Malherbe ne s'est pas abstenu de l'excès*..... Le bon Régnier, tout négligé et incorrect qu'on a voulu le faire, demeure encore supérieur à son rival par la richesse, l'abondance et la nouveauté de ses rimes.

5°) De temps immémorial les poètes français s'étaient arrogé quelques licences de langage, quelques privilèges d'élision que Malherbe *a cru devoir* abolir. ... Les poètes *des autres nations modernes* ont conservé quelques licences analogues, *compensation bien légère de tant de gênes;* les nôtres en ont été *dépossédés* en vertu de l'arrêt porté par Malherbe et visé depuis par l'Académie. Puisque le réformateur était en si bon train, il a eu raison d'ordonner l'élision de l'*e* muet final précédé d'une voyelle, comme dans les mots « vie », « joie », qu'on *pouvait faire* avant lui de deux syllabes. Il a été également bien conseillé de son oreille lorsqu'il a réduit à une syllabe les mots

Celui-ci a été mieux conseillé par son oreille, lorsqu'il a proscrit l'élision de l'*e* muet final précédé d'une voyelle, comme dans les mots « vie », « joie » qu'on *faisait* avant lui de deux syllabes.

« voient, « croient », « aient »

6o) Nous ne suivrons pas *Malherbe* dans tout ce qu'il a dit contre les inversions dures et forcées, les cacophonies, les consonnances de l'hémistiche avec la fin du vers et de la fin du vers avec l'hémistiche du précédent ou du suivant, etc., etc....

Ces conseils fort judicieux et fort utiles n'ont *d'inconvénient qu'autant qu'on les érige en règles générales et obligatoires.* Mais ce qu'il écrit contre les « chevilles » ou « bourres » nous paraît tenir à une *conception des vers trop mesquine et trop fausse pour ne pas exiger réfutation.*

[Et invehitur *Sainte-Beuve* in sordida præcepta quorum gratia « *de nos jours encore, il est loisible à un chacun de souligner des chevilles dans les « Méditations » ou dans « Cromwell.* » Illa autem refellit, et, more romanticorum, contendit formam ipsam dicendi, non minus quam res, quasi divinitus in poetarum animos immitti.]

Quant aux *diverses formes de l'ode*, il n'en a inventé aucune, mais les a toutes empruntées à Ronsard et aux autres poètes de la Pléiade.

7e) On attribue communément à Malherbe l'invention de plusieurs *rythmes lyriques*; c'est une erreur; il n'a inventé *aucune strophe nouvelle de l'ode* et a emprunté toutes les siennes à Ronsard et aux autres poètes de la Pléiade. »

Expedite vides quantum inter se dissentiant primus et alter textus, quam ample *Sainte-Beuve* commentationem suam de classicorum duce dilataverit, quam studiose de præceptis ejus ad formam poeticam pertinentibus disputaverit, quomodo denique aut laudes aut reprehensiones pendeant omnes e novis romanticisque doctrinis, quas nunc favet.

Quæ quidem doctrinæ, ut notum est, ceteris libri partibus explicantur ; ita ut spes quam perorans *Sainte-Beuve* declarat et ætas magna et gloriosa quam in ultimis paginis videtur prospicere, et, ne multa, omnia in opere ejus, memoriam libelli *Défense et Illustration de la langue française* inscripti renovent et ejus in romanticos favorem manifestum faciant. Sed quæ paginas de *Malherbe* scriptas sequuntur, primum libro in lucem emissa sunt, ut non jam sit comparationi locus.

V

Quomodo, romantico fervore sedato, SAINTE-BEUVE librum suum ita retractaverit ut quædam romanticorum præcepta, opere rursus edito, retinerentur, quædam et quidem plura impugnarentur.

Non autem diu romanticam disciplinam *Sainte-Beuve* eodem studio secutus est. Quamquam enim aliquot annis se ipsum fefellit, non ea erat ista doctrina quæ ab illo semper retineretur. Cum enim exquisitum ac fastidiosum judicium æstimandis litteris adhiberet, facile offensus est solutissimo genere dicendi quod illa aut permittere aut saltem excusare videbatur; et cum subtili ac mediocri ingenio præditus esset, brevi libidines nimias recusavit, necessario

doctrina ortas quæ his generibus scribendi atque cogitandi faveret, quibus singuli scriptores insignirentur et a communi hominum usu recederent. Itaque, jam ante res novas anno millesimo octingentesimo tricesimo instauratas, etsi ipse romantica opera composuerat, quibus tituli *Joseph Delorme* et *Les Consolations*, in dies videtur paulatim a romanticorum schola degressus esse (1). Mensis vero Quintilis civilibus bellis discidium maturatum est ; atque intra aliquot dies (« aliquot horas » pæne dicam), *Cenaculi* conventus disjectus et solutus est. « *L'école poétique était en plein train de se transformer par la force des choses, quand la Révolution de Juillet, en éclatant brusquement, abrégea l'intervalle de transition et lança par contre-coup tout ce qui avait haleine dans une troisième marche dont nous pouvons déjà noter quelques pas (1833). Jusqu'ici, depuis deux ans passés, il ne paraît plus qu'il existe aucun centre poétique auquel se rattachent particulièrement les essais nouveaux d'une certaine valeur. La dispersion est entière; chacun s'introduit et chemine pour son compte, fort chatouilleux avant tout sur l'indépendance. Les poètes renommés cependant ont continué de produire..... Mais indépendamment de ces talents établis qui poursuivent leur œuvre en la modifiant la plupart et avec raison* selon une pensée sociale, *voilà qu'il s'élève et se dresse une troisième*

(1) Vide MICHAUT, Op. laud. cap. VIII.

génération de poètes dont on peut déjà saisir la physionomie distincte et payer l'effort généreux. C'est au premier abord quelque chose de plus varié, de plus épars qu'auparavant, de plus dégagé des questions d'école, de plus préoccupé de soi et de l'état de la société *tout ensemble* » (1).

Sainte-Beuve ipse hac ipsa commutatione mutatus est, qua ceteros mutatos esse indicat. A romantica vivendi ratione, quam nominant *individualisme*, philosophum *Saint-Simon* secutus, subito ad illam se contulit quam vocant *humanitarisme:* (2) quæstiones enim ad artem formamque dicendi pertinentes dereliquit, ut ardore summo hominum civiumque officia tractaret, (3) caritatem humani generis prædicaret et novam quamdam relligionem studiose exquireret. Iisdem fere temporibus, *La Mennais* secutus est usque ad catholicæ fidei limina; et cum, a duce mobili destitutus, stetisset solus et ut ita dicam spei suæ ruinis obrutus, perdiu harum rerum in cogitatione defixus permansit. Inter quæ anxia studia de vivendi normis et regulis et ut ita dicam causis, litteræ et poetarum vanæ doctrinæ prætermissæ sunt; illas non flocci facere visus est ; de arte non jam locutus est nisi raris et dubiis verbis, utpote cujus animo multa et majoris quidem ponderis curæ versarentur.

(1) Vide *Portraits Contemporains*, II, 181.

(2) Vide *Premiers Lundis*, II, 223.

(3) Vide *Critiques et portraits littéraires*, I, *préface*. Quod proœmium nusquam alibi typis mandatum est.

Lausannensi autem ab urbe regressus, cum jam omnibus de philosophia aut relligione curis se exsolvisset et quieta incredulitate contentus esset, otium ei fuit litterarum denuo tractandarum. Sed tunc ambitiosis philosophorum doctrinis ingentibusque promissis minime jam confidebat, qui, anno millesimo octingentesimo tricesimo octavo, scriberet : *« Les principes ne valent que pour ce qu'on y met de particulier et de correctif perpétuel dans l'application. Ce sont là des formes de passions et presque de maladies que les jeunes talents doivent presque nécessairement traverser ; ils deviennent d'autant plus mûrs qu'ils s'en dégagent plus complètement. On ne passe point indifféremment sans doute par ces divers systèmes ; on en garde des impressions, des teintes, un pli ; mais enfin l'on en sort, quand on a un talent capable de maturité »* (1).

Qua mente erat ipse et omnibus vinculis emissus — cum tamen agnoscerentur aliqua « veteris vestigia flammæ ». Itaque arbitratus est quærendam esse in litteris mediam illam viam, quæ tunc, quod ad rempublicam attinet, dicebatur *juste-milieu*.

Ut igitur mediam viam inveniret, ab hoc tempore, enisus est. Etenim *totum* romantismum rejicere non ei in mente erat, cum sibi, ut fit, indulgeret nec fateri posset se omnino erravisse. Insuper, cum mens ejus præceptis

(1) Vide *Premiers Lundis*, II, 323.

ephemeridis *Le Globe* conscriptorum quasi dilatata esset et multis diversisque libris lectis instructa, non jam recipere poterat vanas pusillasque doctrinas pseudo-classicorum temporis sui. Itaque libenter prædicat quidquid boni consecuti sunt romanticorum conatus ; omnia celebrat quæ ut melius lœtiusque fierent mutaverunt *Cenaculi* scriptores ; se ipsum, occasione oblata, pro virili parte huic bello interfuisse jactat, atque libellum, cui inscribitur *Conversion de Joseph Delorme* et in quo *Jay* romanticam doctrinam *Sainte-Beuve* abdicantem finxerat, famosum esse contendit ; denique, sicut Demosthenes post Chæronensem cladem, jurejurando confirmat et romanticos omnes et se ipsum de republica litterarum bene meruisse : « *Non, dans la tentative qui s'est émue, non, nous tous nous n'avons pas tout à fait erré. La poésie était morte en esprit, perdue dans le délayage et les fadeurs : nous l'avons sentie, nous l'avons relevée, les uns beaucoup, les autres moins et si peu que ce soit dans nos œuvres, mais haut dans nos cœurs ; et l'art véritable, le grand art, du moins en image et en culte, a été ressaisi et continué* » (1).

Spes autem aliquas nunc deponit et errores quosdam abducit. Non jam enim arbitratur institutiones ambitiosas quas de dicendi arte romantici inconsulte finxerint cum veritate


(1) Vide *Portraits Littéraires*, II, 108.

naturaque congruere. Fatetur aperte in quibusdam scribendi generibus, in fabulis præsertim agendis, quidquid tentaverint vanum et futile evasisse et, in maximis etiam recentiorum operibus, quorumdam vitiorum quasi semina latuisse, quæ nunc pateant. Immo, etsi ipse magno ardore prædicavit formam scribendi per se maximi esse ponderis, cum nunc videat formam tamquam præcipuam ac fere solam aliquo in loco esse, reclamitat istius modi doctrinis : itaque de *Théophile Gautier* quadam die aliquid composuit, (2) quo romantismi sui, ut amico cuidam scribebat, fines definiret. Ergo plerisque rebus a se quondam confirmatis modum quemdam adhibet, quædam etiam ipse refellit.

Hac igitur mente, ut ita dicam, media, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, opus suum revisit. Atque primis ab initiis aperte sententiam et consilium ostendit :

Jeune et confiant toutefois, j'y multipliais les rapprochements avec le temps présent, avec des noms aimés, avec tout cet âge d'abord si fervent de nos espérances. *Je ne retranche rien ou à peu près rien aujourd'hui, même là où il semblerait qu'il y eût mécompte.* La poésie française du XIXe siècle et celle du XVIe ont peut-être en cela un rapport de plus pour la destinée : l'espérance y domine; il y eut plus de fleurs que de moisson. Et, tout bien consi-

(2) Vide *Portraits Contemporains*, II, 524.



déré, on n'a pas encore trop à se dédire; on n'a pas à rougir d'une poésie lyrique qui, dans le jeu alternatif de ses saisons, va s'encadrer de l'« Avril » de Belleau, aux « Feuilles d'automne » de Hugo (1).

« *Je n'en retranche rien ou à peu près rien* » : Aliquid igitur detraxit? dictorum quædam retexuit? Hæ autem emendationes, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio operi insertæ, si ultimæ quoque editioni et quidem auctiores insertæ sunt, nobis auxilio fore videntur ut plane cognoscamus quam doctrinam in animum postremo, ne variaretur, receperit.

Etenim, in utraque editione, emendata alia ad aliud tendunt : sunt quibus, dum obstinato animo præcepta confirmat quæ, cum ceteris vel sibi quondam probata sint, etiam nunc bona esse censeat, *Sainte-Beuve* quibusdam de rebus se romantice etiam sentire aperiat; — sunt autem quibus, cum confessus sit suos et se ipsum nimia tentatavisse et in quibusdam conatibus parum profecisse, spes et rationem romanticorum se deserere ostendat.

Romanticas profecto partes sequitur, cum, vanis et strictioribus censuris, quibus *Charles Fontaine* libellum *Défense et Illustration* detrectaverat, expositis, hanc addit adnotationem :

Je crois lire Auger ou M. Jay (2)

(1) Vide C, 2 et L, I, 3.
(2) Vide L, I, 93. adnot.

Quibus pravis judiciis inter se comparatis — sicut infra confert *Morellet*, libelli *Atala* inscripti obtrectatorem, *d'Olivet* aut *Condillac*, operum a *Racine* aut *Boileau* conscriptorum castigatoribus, — illos ulciscitur, maligne conjunctos, qui *Pleiades* vituperaverunt et eos qui *Cenaculum* carpserunt (1).

Romantismi etiam fautor habendus est, cum versus legibus classicis solutos celebrat, dum locum quemdam non secus ac si a *Stendhal* scriptus esset affert :

N'est-ce pas cet irrévérent M. de Stendhal qui a dit : « Le vers français (l'alexandrin) ressemble à une paire de pincettes brillantes et dorées mais droites et roides : il ne peut fouiller dans les recoins. »

False quidem ; nam, anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono, liberior ruptis veteribus consuetudinibus factus, parvam illam fraudem confessus est et sibi vindicavit jocum, qui est omnino romanticus :

J'ai mis le mot sur le compte de Stendhal ; il est de moi (2).

Ut romanticus quondam confutaverat quæ a *La Bruyère* judicata erant de sermone a *Marot* usurpato cum poetæ *Ronsard* lingua comparato. Ut romanticus etiam anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, adnotationem non modo retinet, sed etiam explet, dum censorem *Bayle* insuper refellit :

(1) C, 154 et L, I. 266.

(2) C, 61 et L, I, 107, adnot.

Ainsi du mot de Bayle sur Marot : « Les poètes de la Pléiade sont de fer en comparaison de celui-là. » Oui, si on les parcourt à livre ouvert et légèrement; non, si on en brise l'écorce et qu'on les étudie (1).

Romantici denique in modum, juvat eum memorare quæ sibi vitio ab *Ampère* versa sint : quasi suum *Ronsard* non satis magnopere laudavisset (2); aut exponere summo cum favore quidquid vetus poeta de Gallica poesi et soluta oratione secernendis sensisset :

Ronsard tenait avant tout à marquer, à établir la délimitation entre la *poésie* et la *prose* française : il les appelle quelque part deux mortelles ennemies. C'est le contraire de la théorie de Voltaire, laquelle a prévalu. « Voulez-vous savoir si des vers français sont bons ? mettez les en prose. Voulez-vous savoir si un cavalier est bon cavalier ? mettez-le à pied. » Ronsard voulait faire de la poésie quelchose de supérieur à la prose et de tout différent : il n'a pas réussi. La langue poétique française n'a jamais pu par rapport à la prose devenir un *balcon*; chez Malherbe, chez Boileau, elle n'est tout au plus qu'un *trottoir*. En parlant ainsi, je suis tenté à chaque mot de demander pardon de la *liberté grande* (3).

Sed si quis perlegerit hos omnes locos quibus *Sainte-Beuve* tamquam romanticum se gesserit, hunc haud fugiet quos intra fines criticus studia romantica coegerit. Nihil profecto de laudibus detrahit quibus antea poetam *Ronsard*

(1) Vide C, 75 adnot. et L, I, 132, adnot.
(2) Vide C, 76 adnot. et L, I, 134 adnot.
(3) Vide C, 77 adnot. et L, I, 135 adnot.

extulerat, nec censet se erravisse cum veteris poetæ infamiam levare conatus esset, quamvis delusæ essent quas concepisset spes. Insuper pervicaciter existimat classicam dicendi formam eam fuisse quæ legitime dilataretur et liberior fieret, atque jure, quamvis infeliciter, *Ronsard* enisum esse ut versibus propriam linguam propriasque voces daret, quibus a soluta oratione discernerentur, necnon opportunum nunc quoque videri aliquid inter poesim et sermonem communem interesse. Cum sit integer historicus et cum epistulæ auctor sit cui titulus *Épître à M. Villemain*, in rebus ad historiam ipsam operum aut scribendi quædam præcepta pertinentibus, romanticis etiam scriptoribus assentitur.

Quod autem ad reliqua attinet, expedite et æquo animo deserit et scholam quondam decantatam et poetas laudatos. Gratum olim ei fuerat poema a *Victor Hugo* compositum memorare, quod dicebat : « *la charmante ballade de Trilby* » ; nunc admirationem deposuit. Ac si multis de causis, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, laudes adimere non audet, jam profecto illa cogitat quæ ultimæ tantum editioni inserere audebit :

Il n'y a pas grand sens dans toute cette ballade, pas plus que dans tout le livre de Nodier; mais c'est léger, bruissant et chantant (1).

(1) Vide L, I, 103, adnot.

Cum versus liberiores quos scripserat *du Bellay* his verbis prædicavisset :

..... Cet alexandrin est le même que la jeune école de poésie affectionne et cultive et que tout récemment Victor Hugo par son « Cromwell », Emile Deschamps et Alfred Devigny par leur traduction en vers de « Roméo et Juliette » *ont réintroduit* dans le style dramatique (1) ;

nunc et sententiam et voces in hunc modum mutat :

... *ont visé à réintroduire* dans le style dramatique.

Quibus non contentus, adnotatione quadam addidit.

Je maintiens, comme on voit, la trace des promesses, de celles même qui n'ont pas également tenu. Un tort des poètes du Cénacle, etc. (2). »

Atque notandum mihi videtur hac adnotatione parum vere significari quantum sibi ipsi contradixerit : qui, anno millesimo octingentesimo vicesimo octavo, non verbo « promissa » usus sit, sed ore magnifico et renidenti victoriam in perpetuum (ut saltem sperabat) partam declaraverit.

Et quam multa, reliquo in opere, aut attenuavit aut ipse refellit ! Omittamus etiam (cum ultimis tantummodo vitæ suæ annis ad id progressus sit) ab eo poetam *Ronsard* incusatum esse quod invita Minerva scripsisset :

(1) Vide S, 77.

(2) Vide C, 61 et L, I, 106 et adnot.

Ronsard est poète à force d'ardeur *et de volonté* comme Alfieri (1). »

Sed quam sæpe se erravisse confessus est ! Numeros enim a *Pleiadum* poetis confictos laudaverat; sed fatetur ab his scriptoribus, quamquam numeris illis inclytis :

Avril, l'honneur et des bois
Et des mois...

indulserunt, hanc versuum structuram non inventam fuisse, cum a *Marot* jam antea adhibita esset (2). Laudaverat genus dicendi venustum et elegans quo aliquando usi erant; sed fatetur jucundissimos locos proximis locis tamquam inquinatos et dedecoratos esse :

Il faut tout dire : le malheur et la vérité, c'est que ces charmants passages ne se soutiennent pas et que ce qui suit gâte presque toujours. Croirait-on bien par exemple qu'après cette jolie strophe de La Taille, il y ait tout immédiatement : « Bref, il faut que je m'en *dépêtre !* » (3)

Poetam *Bertaut* detrectaverat ob eam causam, puto, quod in *Arte poetica* laudatus erat ; jam fatetur damnationem partim rescindendam esse :

(1) Vide L, I, 111, adnot.

(2) Vide C, 89 adnot. et L, I, 156 adnot.

(3) Vide C, 97 adnot. et L, I, 170 adnot.

Je laisse subsister ici ce jugement *un peu trop sévère*, que je me suis appliqué à *modifier* ensuite et à la fois à motiver dans un article détaché sur Bertaut (1).

Eodem animo similemque ob causam sine dubio, cum ab ultimis classicis valde laudatus sit, recentiorem *Gresset* detrectaverat ; jam pariter fatetur rescindendum judicium :

Je me trouve, en me relisant, sinon trop flatteur pour Durand, *trop dur au moins pour Gresset*, dont le *charmant* perroquet garde bien ses avantages (2).

E contrario autem poetas *d'Aubigné* et *Jodelle* nimiis laudibus ad cœlum extulerat, quod alter magistro et amico *Victor Hugo* probabatur, alter tragœdias composuerat quæ in locum fabularum *Mystères* dictarum successissent, sicut *Hugo* dramata scribebat quæ in locum tragœdiarum succederent ; nunc, quoniam amici auctoritas omnino concussa est et drama romanticum ad parum felicem exitum adductum est, de *d'Aubigné* et *Jodelle* sententiam mutat. Ita enim scribit :

Cette vie et ce caractère de d'Aubigné sont *présentés ici un peu trop en beau*. Je n'ai pas assez tenu compte de la mauvaise humeur

(1) Vide C, 111 adnot et L, I, 195 adnot.

(2) Vide C, 128 adnot et L, I, 223 adnot.

et des haines, dont la part pourtant est grande chez ce rude et brillant aïeul de Madame de Maintenon (1).

et

Tout ce récit est un peu *poétisé en faveur de Jodelle* qui ne *valait pas tant*.....

Qua in adnotatione de *Jodelle* hæc etiam addebat *Sainte-Beuve* :

On n'est jamais mieux jugé que par ses amis littéraires. Mais cela s'en va souvent en petits mots, tandis que les éloges écrits restent, et la postérité se méprend (2).

At neque laudes voluit, quas ipse concesserat, intactas permanere : recidit igitur ; neque notas, quas animo conceperat, in tenues voces dilabi : enuntiavit igitur. Scripserat enim, quasi doctrinam a *Malherbe* latam, ex eo quod insulsa eam consecutura essent, refelleret :

Cette explication simple et nette a fait fortune ; tout le monde en France depuis Malherbe a compris comment on fabrique le vers ; et de nos jours encore, *il est loisible à chacun de souligner des chevilles dans les « Méditations » et dans « Cromwell »* ! (3).

(1) Vide **C**, **141** adnot. et **L**, I, **244**, adnot.

(2) Vide **C**, **209** adnot. et **L**, I, **358**, adnot.

(3) Vide **S**, **190**.

Nunc autem videtur æquo animo ferre vitia quæ dicuntur *chevilles* in versibus dramatis inveniri et, ut ita dicam, clandestino scribit :

Dans les « Méditations » ou *dans* « *l'Aveugle.* »

atque in adnotatione :

Le poëme d'Homère par André Chénier (1).

Finxerat, quo facilius doctrinas suas comprobaret, Hispanienses auctores in iis quas ad scenam composuissent fabulis, rationem certam et concepisse et secutos esse, quæ feliciter objiceretur et rationi et regulis ab Aristotele inventis :

Quand Cervantes et Vega franchissent de longs intervalles d'années ou de pays, ils ont un but et visent à quelque effet d'art ; ces irrégularités apparentes se rattachent dans leur esprit à un système tragique aussi complet et aussi imposant que celui des Grecs, bien que différemment construit (2).

Sed, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quæ audacius his verbis affirmaverat, adimit :

(1) Vide C, 153 et adnot. et L, I, 264 et adnot.

(2) Vide S, 307.

et des haines, dont la part pourtant est grande chez ce rude et brillant aïeul de Madame de Maintenon (1).

et

Tout ce récit est un peu *poétisé en faveur de Jodelle* qui ne *valait pas tant.....*

Qua in adnotatione de *Jodelle* hæc etiam addebat *Sainte-Beuve* :

On n'est jamais mieux jugé que par ses amis littéraires. Mais cela s'en va souvent en petits mots, tandis que les éloges écrits restent, et la postérité se méprend (2).

At neque laudes voluit, quas ipse concesserat, intactas permanere : recidit igitur ; neque notas, quas animo conceperat, in tenues voces dilabi : enuntiavit igitur. Scripserat enim, quasi doctrinam a *Malherbe* latam, ex eo quod insulsa eam consecutura essent, refelleret :

Cette explication simple et nette a fait fortune ; tout le monde en France depuis Malherbe a compris comment on fabrique le vers ; et de nos jours encore, *il est loisible à chacun de souligner des chevilles dans les « Méditations » et dans « Cromwell »* ! (3).

(1) Vide **C**, **141** adnot. et **L**, I, **244**, adnot.
(2) Vide **C**, **209** adnot. et **L**, I, **358**, adnot.
(3) Vide **S**, **190**.

Nunc autem videtur æquo animo ferre vitia quæ dicuntur *chevilles* in versibus dramatis inveniri et, ut ita dicam, clandestino scribit :

Dans les « Méditations » ou *dans « l'Aveugle.* »

atque in adnotatione :

Le poëme d'Homère par André Chénier (1).

Finxerat, quo facilius doctrinas suas comprobaret, Hispanienses auctores in iis quas ad scenam composuissent fabulis, rationem certam et concepisse et secutos esse, quæ feliciter objiceretur et rationi et regulis ab Aristotele inventis :

Quand Cervantes et Vega franchissent de longs intervalles d'années ou de pays, ils ont un but et visent à quelque effet d'art ; ces irrégularités apparentes se rattachent dans leur esprit à un système tragique aussi complet et aussi imposant que celui des Grecs, bien que différemment construit (2).

Sed, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, quæ audacius his verbis affirmaverat, adimit :

(1) Vide C, 153 et adnot. et L, I, 264 et adnot.

(2) Vide S, 307.

Je vais peut-être un peu trop loin en accordant à ces illustres Espagnols un tel système ; à l'époque où ces pages furent écrites, on cherchait en France à coordonner la théorie romantique, à lui trouver de grands précédents à l'étranger ; et aux superstitions de La Harpe, on eût substitué volontiers les oracles des Schlegel (1).

Denique, in extrema de fabulis dissertatione, cum fabulæ quasi addictus esset cui titulus *Cromwell* ceterisque fabulis quas *Hugo* aut composuerat ant componere debebat, et cum vehementissime cuperet necessariumque censeret omnia in scena mutari, dixerat fore ut hoc genus scribendi floreret, ubi primum scena liberior facta esset ejusque aditus scholæ romanticorum patefactus esset. Scena vero profecto liberior facta est ejusque aditus scholæ romanticorum patefactus ; sed nihilominus spes critici est concussa. Hoc aperte fatetur :

En général, ces dernières pages et ces conclusions de notre « Histoire du théâtre au XVIe siècle » se ressentent bien naturellement des circonstances littéraires d'alors. Les « Barricades » et les « États de Blois », le « Théâtre de Clara Gazul », les « Soirées de Neuilly », les drames inédits et lus de M. de Rémusat, le « Cromwell » de M. Hugo et les tentatives de traductions shakespeariennes en vers, tout nous poussait à croire qu'une certaine liberté seule manquait pour ouvrir le théâtre à la foule des jeunes talents empressés. L'expérience a depuis prouvé qu'il manquait autre chose encore (2).

(1) Vide C, 239 et adnot. et L, I, 406 adnot.

(2) Vide C, 255.

atque etiam, extrema jam vita, ut plane regulis tam infamatis justus esset, addidit :

M. de Talleyrand avec sa parfaite sagacité disait : « Les barrières sont aussi des appuis ». Cela s'est trouvé vrai en littérature comme en politique (1).

Quæ cum ita sint, quis negabit *Sainte-Beuve* tandem pleraque et maxima romanticorum præcepta dereliquisse?

(1) Vide L, I, 432, adnot.

Conclusio

Hoc igitur unico opere, quasi tabella quadam, annales fidei, quam *Sainte-Beuve* romanticorum doctrinæ addidit in brevi coguntur, cum quattuor libri formæ simul recognoscantur. Quarum gratia, cernimus, ut ita dicam, oculis juvenem præceptis àc judiciis classicis imbutum, quamvis mens ejus inter conscriptores ephemeridis *Le Globe* liberior facta sit, paulatim in partes romanticas inductum et doctrinarum ipsarum illecebris et amici *Hugo* grata auctoritate ; — eumdem juvenem, paulo post, doctrinas a *Cenaculi* scriptoribus decantatas summo ardore prosequi quam studiosissime decantare, inter Gallicas doctrinas adsciscere, eis quasi jus imaginum conferre, operam navare ut earum merita in lucem proferat, ne multa ex eis tam magnam spem litterarum Gallicarum

